

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

14

Università di
Dipartimento di Bio

I

26







Biblioteca dell'Istituto Botanico
dell'Università - Bari

Serie I N. 26

Scaffale 1

Piano A

N. 30

Bari
ologia

5.

Praro

N. d'inv. 2260



ARCHIGYMNASII
ROMANAE

SAPIENTIAE

A B

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

PERFECTI, LVSTRATI, CONSECRATI

POSTRIDIE IDVS NOVEMBRES


DESCRIPTIO.




ROMAE,

Typis Iacobi Dragonelli. M. DC. LXI.

Superiorum permissu.





ARCHIGYMNASII

ROMANAE

SAPIENTIAE

A B

ALEXANDRO VII

PONT. MAX.

PERFECTI, LVSTRATI, CONSECRATI

POSTRIDIE IDVS NOVEMBRES

DESCRIPTIO.



ROMAE,

Typis Iacobi Dragondelli. M. DC. LXI.

Superiorum permissu.



AR CHIEP M PATRAC VICEF G
ROMANAE
SACRIBN TIAE
Imprimatur, si videbitur Reuerendis. Patri
Magistro Sacri Palatij Apostolici.


O Archiep. Patrac. Vicefg.



Imprimatur.

Fr. Raimundus Capisucus Ord. Prædicat. Sac.
Apost. Pal. Magister.

Ad usum R. P. P. Philippia Podiomirteto
iterato Ministri Provinciales



Ad simplicem usum
F. Philippi a Podiomirteto
Lect. Jubil. iterato Min. Provi.
ac bis Definitoris Gen.
nunc
spectat ad Biblioth S. Martini Verul.

BEATISS. PATER.



EDIT ad Te descripta literis, quæ à Te ornata, & dedicata nuper est Sapientia, vt à quo absoluta perfectionem, lustrata lumen, constituta formam accepit, ab eo typis mandata patrocinium, decusque accipiat. Ad vtrumque satis est vmbra nominis ALEXANDRI, in qua tantum est præsidij, quantũ in nomine est famæ. Nec minore beneficio Romæ stabile domicilium, quàm foris vagantem per reliquum Orbem gloriam habebit. Non poterat, quod tua erat, vna Vrbe claudi, & veluti priuata domi consistere. Ad commune bonum prodire debuit, & genio respondere tuo, qui omnibus vis proficere. Alexandro similis, quòd Orbe non caperis. Maior, quòd non illum

spolias, sed beatis animi tui bonis locupletas: natus non ad illius excidium, sed subsidiū. Iam antea, Beatissime Pater, cum priuatus eras, publicis commodis seruebas: modò cum in supremo dignitatis fastigio Vniuersalis Papę personam geris, per totā Te rerum vniuersitatem diffundis, & omnia veluti habitu beneficentię infuso foues, animasque. Et quoniam ea est Sapientię vis, vt nec locis circumscribatur, nec temporibus terminetur, nec personis addicatur, hanc singulari semper es amore profecutus, quòd eius opera ad omnes locos peruenire, ad omnes ætates pertinere, omnibus commodare posses. Huius & animi, & consilij tui conscij, ac experti DD. Aduocati Consistoriales, Archigymnasij Sapientię Moderatores, non contenti Statuam tibi posuisse in amplissima, quam ædificasti, Bibliotheca-

bliotheca, aliam stylo in chartis exarata,
& typis expressam fieri voluerunt, quæ per totum volitaret Orbem, & omnium oculis pateret, vt quantus esset tuus in litteras, & studiosos litterarum amor constaret. Quod si, vti huiusce Alme Urbis Sapientie à Te, Beatissime Pater, perfectæ, & ornatae exemplum in scriptis proponimus, ita & illius, quæ menti tuæ inest, nec videri oculis potest, sapientie imaginem exprimere possimus, veram illius Ideam haberemus. Satis tamen hæc erunt, quæ foras per magnificentiam tuam erumpunt signa, vt à quocunque demum recognoscantur, in eo mirabiles excitent amores sapientie: compluresque ad hæc quæ omnibus patere vis, studia frequentanda incendant; quo nihil tum vtilius ad animos doctrina sana imbuendos, moresque ad eam formandos: tum ap-

A

3

tius

tius ad peruersa dogmata, quæ alibi he-
terodoxi tradere solent, cognoscenda,
& refutanda: tum accomodatius ad
Religionem Catholicam hinc tuendam,
& ubique propagandam, qui Tibi fi-
nis est propositus, excogitari potest.
Natum esse Te meministi ALEXAN-
DER OPTIME ad commune bonum,
eiusque Te officij suprema Pontifica-
tus tui dignitas admonet, cui ut cu-
mulate satisfacias, sapientiam profite-
ris, & colis; ut iure cum Alexandro hu-
ius nominis Primo sentias, & dicas.

Epist. 3. to.
1. Concil.

*Gratia Dei sumus id, quod sumus, idcirco
nobis providendum est, & oppidò decer-
trandum, ne in ea vacui inueniamur, sed
eadem nobis cooperante gratia fructum
Domino plurimum reportemus, quod ali-
ter fieri non potest, nisi sapientiam sectan-
do. Cæterum Beatissime Pater viue
diu, uti mereris, nos que optamus.*



Reuit olim , antequam Pax
 Ecclesiæ foret , Vrbs Ro-
 ma aliarum Urbium rui-
 nis ; & Victor totius Orbis
 Populus victarum gentium
 spolijs abundauit , ita vt
 domestica magnificentia aliena pararetur
 iniuria ; nec temerè accidisse videtur , quòd
 eadem postea Vrbs à tot barbaris genti-
 bus caperetur , quasi singulæ , dum illam
 diriperent , sua repeterent . Verùm ex
 quo Christiana Religio , depulsa vi , ex-
 acta auaritia , remotis armis , pacem , & quie-
 tem nacta est , Romana Ecclesia Mater
 omnium esse , ac videri cœpit , ac in sinum
 suum omnes per terrarum Orbem disper-
 sos Christianos recipere , cumque ijs suas
 opes communicare , nec filios Patriæ ,
 sed Fide æstimare , nullo inter domesticos ,

externosque discrimine: didicit nempe
 ex Paulo, *omnibus omnia fieri, ut omnes
 Christo lucrifaceret*. Hinc Basilicæ, hinc
 Tempa omnibus peruia, sacra communia,
 sacerdotia communicata, redditus diuisi,
 acceptæ mediam in Vrbein nationes, loci
 ijs sacri, profani assignati, Seminaria,
 Collegia instituta, in quibus Alumni do-
 ctrinæ, ac morum præceptis imbuerentur,
 ijsque omnia ad victum, vestitum, vsum-
 que vitæ necessaria è publico largiter, ac
 liberaliter darentur: nullo alio quæstu,
 nisi animarum profectu, cui materna sol-
 licitudine studet, eoque se Catholicam
 ostendit, quòd ad omnes totius Orbis par-
 tes, pia huiusmodi cura, affectuque perua-
 dit: adeò vt ipforum etiam Hæreticorum,
 Mahometanorum, Hebræorum, ac Infideli-
 um filios vndique euocet, ac inuitet,
 & venientes expanso gremio recipiat, fo-
 ueat, ac in suis numeret. Quòd si quis ini-
 re rationes, ac condere lustrum velit, is
 omnino comperiet Romæ plures quàm in-
 digenas inquilinos esse, & maiores in-
 hos, quàm in illos sumptus conferri; a-
 deò vt feliciter mutato statu, è qua olim
 Colo-

9
Coloniæ deduci solitæ, ea Vrbs infusa
peregrinorum multitudine in Coloniã
exterorum penè abierit; insigni profecto
Christiani nominis gloria, quòd Vrbs
omnium gentium Domina Christo in om-
nibus gentibus seruire maluit, quàm im-
perare. Hoc studio Summi quique Pon-
tifices huius Ecclesiæ Capita, & Principes,
ducti, multa, & præclara publicæ pieta-
tis opera ad communem fidelium utilita-
tem condiderunt. Nemo fermè est, mo-
dò satis vixerit, cuius non extet aliquod
huius Religiosæ liberalitatis monumen-
tum: Plerique sunt, quorum multa inue-
niantur, & oculis obuia, & scriptis edita.
Et quidem inter eos ALEXANDER VII. Põ-
tifex, Maximus, in cuius ego felicissimum
tempus incidi, egregiam laudem mere-
tur, quòd non dum exacto sex annorum
curriculo, tot, & tanta, tamque magni-
fica molitus est, vt cum nemini Superio-
rum ante se Pontificum vel magnificen-
tissimo cedat, tum spem faciat (si, vt op-
tamus, diutissimè viuat) omnibus ante-
cessurum. Eorum certè ex sunt minæ, vt
vel imperfecta perfecta multorum opera
deter-

deterreant. Nec meum est ea describere, quæ satis admirari vix possum. Vnum, mihi suscipio commemorandum, quod & si scribentem exanimet, stylum tamen ex officio meum exigit. Hoc est autem, Almæ Sapientiæ (sic scholæ Romæ Urbis principes dicuntur) perfectio, & dedicatio. Hoc iure Archigymnasium dicitur, quod amplitudine Authorum, operis magnificentia, Præfectorum nobilitate, Professorum peritia, doctrinarum varietate, Cathedrarum multitudine, cæteris Academijs, in quibus palàm exercentur ingenia, atque adeo gymnasia, appellantur, videtur anteire.

Primus, qui dispersa per amplam Urbem studia in hoc vnum Lyceum coniecit, fuit Leo X. eximius sapientiæ amator, & doctorum hominum doctus Mecœnas: qui errantem, ac penè exulem ob difficulta Superiorum Pontificum tempora Urbis Romæ, quæ studio bellorum arserat, iam pacatæ, tranquillæque restituit, & quasi Patriæ reddidit. Ille prima operis fundamenta iecit, ac ædificium in eo, quo nunc est loco, inchoavit. Successerunt ea tempora,

pora, quæ tum sectarum perniciosarum, diffidijs, tum bellorum partim inter Christianos ciuilium, partim à Turca, & Hæretico hoste externorum periculis à gerenda, & ornanda domi Repub. curas Pontificias ad arcenda, quæ aliunde imminebant mala importunè quidem, sed necessariò auerterunt. Itaque institutum Gymnasium hæsit, donec Gregorio Decimotertio Pontifice, operam dantibus litterarijs Præfectis paulum processit. Sixto Quinto Papa, qui nobilium egregius operum Author fuit, & doctrinarum patronus, moles ædificij creuit ab ea parte, quæ Sancti Iacobi (Hispanicæ id gentis Xenodochium est) templum respicit. Ibi suum Gymnasium quasi corpus, & faciem cepit, extracto ab interiore area, & producto in pergulam arcuato opere, ac exteriori pariete terminato, aperto in fronte principali ostio, super imposita idoneo in loco turri ære campano sonora, ad euocandos auditores fabricata. Scholæ imperfectæ quidem, ac rudes sed magisterio tamen insignes, ac doctrinarum præceptis peruditæ procedebant,

Cæterum opus lentè, ac parum produci
 vsque ad Clementem VIII. litterarum,
 haud dubiè amantem. Eo Pontifice fa-
 bricatum ad latera ædificij, & aliquantum
 operis adiectum. Nec Paulo V. Papa Vi-
 ro ad splendorem Urbis nato cessatum.
 Bona igitur eius auspicijs pars addita. Vi-
 debatur Ædificium multorum Pontificum
 cogitationes, vt nobilius surgeret, desi-
 derare. Superueniens Urbanus VIII. in-
 signi suo erga doctos, & doctrinas studio-
 lentos Gymnasij Præpositos ad continuã-
 dam fabricationem excitauit. Quam vt
 religione sacratam redderet, nouam Ac-
 dem veteri multo ampliorem, idoneo si-
 tu, aream Lycei versùs ædificari iussit, ar-
 chitectura mirabili, Apis volantis (gen-
 tile id fuit symbolum) speciem imitante.
 Cui in iustam altitudinem iam eductæ In-
 nocentio X. magnificentissimo Pontifice
 fastigium impositum, erecta supra tectum
 turri cochleario opere spiris intortis fi-
 nuata, quæ procaci, & venusto ductu in-
 coronam desinit, & accepta intra orbem
 vacuum Cruce aurea, insignem operi
 coronidem imponit. Tot Pontificum ca-
 mo-

13
moles iustus, & nobilis sudor fuit. Ad-
huc tamen illa magna ex parte imperfe-
cta, quâ nimirum Sancti Eustachij forum
spectat, vltimam desiderabat manum, &
perfectionem respiciebat. Obtigit is, quo
nullum optare potuit studiosiorem, cum
sapientiæ, tum domicilij, in quo firma, &
constans habitaret sapientia, ALEXANDER,
qui hanc inter cæteras laudem sibi vindic-
cat, præter sua magnifica (quæ plurima
visuntur, partim inchoata, partim perfe-
cta) incepta, & imperfecta aliorum)
Pontificum opera suscipere, ac perficere.
Nec dubium, quin ipso initio Pontifica-
tus ad mouisset operi manus, nisi grauissi-
ma quæ interuenerunt Reipubl. negotia,
aliò auertissent. Rarò enim alium Ponti-
ficem reperiemus, cuius Pontificatus ini-
tia, tot, tamque præclara maximarum
rerum euenta æquè nobilitarint, & cuius
virtus in bonis, malisque Reipublicæ ma-
gis enituerit. Certè vel duo hæc, aduen-
tus Reginae Christianæ Sueciæ Christianis
sacris imbutæ in Urbem, & grassatæ pau-
lò post in ea pestis, argumenta, dicenti
fidem faciunt. Illud enim specimen ma-
gnifi-

gnificentiæ, & pietatis in vtramque par-
 tem ALEXANDER præbuit, vt cum multum
 gloriæ acquiserit, nescias in vtro fuerit
 mirabilior? Regina ne Regio more exci-
 pienda, an malo Parentis instar è visceri-
 bus Reipublicæ euellendo? Mitto alia,
 non minora, quæ nobiles curas ad se vo-
 cabant: Sed cum mens ad perficiendum
 opus Gymnasij esset intenta, vbi per otium
 licuit, prouinciam suscepit. Pendebat hoc
 interruptum. Nec animus magistratibus,
 nec spes adificandi consumptis iam pu-
 blicis redditibus erraticū ALEXANDER alijs
 curis postpositis admoueri iussit operi ma-
 nus, & quæ ad illud perficiendum satis
 essent pecuniæ, eas breui collectas ad sum-
 ptus insigni liberalitate contulit. Ingens
 ea vis præsentis pecuniæ fuit: qua cum fi-
 de representata, mirum est, quanta celeri-
 tate, & magnificentia fabricatum sit. Pri-
 mum rudera, quæ iacebant, remota, &
 certis locis indita, ruta cæsa collecta, &
 in vsum redacta, exesa sarta, sordida re-
 purgata, vetera renouata, impolita exter-
 sa, omnia nitore reddita. Itaque breui e-
 Ædificij pars, quæ deerat, adiecta, quæ
 cum

cum quadrum penè iustum conficeret, in-
 sula frequens extitit à cæteris dirempta
 vijs, vti nobilior, ac singularis, & in gre-
 mium regionis accepta. Foris, intusque
 forma, & species accessit. Nam intus a-
 rea, qua parte vacua, erectis arcubus, du-
 ctis fornicibus, inducto tectorio completa.
 Pergulæ à lateribus, à tergo excursu libero
 porrectæ, ac expeditæ. Cubicula idoneis
 locis extracta, scalis distincta & rursus
 commissa. Foris paries incrustatus, & cal-
 ce illitus, vt niteat. Modicæ, quæ iam
 apertæ, ad lucem vberem, vbi opus erat, ac-
 cipiendam, reddendamque fenestræ ampli-
 catæ, ac expolitæ. Ostia, quæ duo sunt, in
 circum Sancti Eustachij alterum, alterum
 in viam, quæ à circo in forum Agonale du-
 cit, obuersum, immisissis postibus, & val-
 uis impositis perfecta, & ornata, super limi-
 naribus speciosissimis è Quirinali eò, vt iu-
 go nobili postes iungerent, translatis. Ædes
 in medio locata absoluta, & expolita, vt
 in ea quam primùm sacra induci, & fieri à
 Sacerdotibus possent. Itaque ab ALEXAN-
 DRO totum Archigymnasij ædificium cir-
 cumducto operis ambitu perfectum, & ad

umbilicum perductum. Et quoniam mortua sine libris, in quibus loquuntur mortui, studia litterarum sunt, statuit Bibliothecam insignem instituire, quæ cum operis magnificentia oculos alliceret, tum multitudine & varietate voluminum mentes citra fastidium erudiret: adiecto insigni iconum, tabularum, signorumque ornatu, quo legentium animi intermisso studio honestè oblectarentur, & refricata eorum, quæ intuebantur memoria ad discendum stimularentur: ut externa, quæ patent oculis placerent, & quæ latent per oculos facilius in animos intrarent. Hanc voluit publici iuris facere, ut verè Romana esset. Quamvis enim claves apud Ministros Sapientiæ futuræ sint, custodiæ, id, & curæ domesticæ dandum; cœterum nemini claudenda, omnibus aperta, & peruia futura erat, tum indigenis, tum peregrinis, quos inuitare volebat ad habitandum in libris, quos otio torpere, & situ, & puluere horrescere nollet; ac ut laxum esset hospitium, amplissimam iussit fabricari, sinu capacissimo, ut litteratum vterum ferret, fecunditatis librorum argumento: quorum ingens esset

vis,

vis, at non incondita, nec confusa, sed per pluteos certis interuallis ordinatim dispositos distributa, vt singuli suos in thecis quos lignæ fasciolaræ interstinguerent, loculos, iuxta facultatum, ad quæ attinerent genera occuparent. Apertis fenestris, alijs in circum ad vberiore lucis vsuram proiectis, alijs in viam, alijs in perulam aræ imminentem obscurioribus versis. Tota sic ædificata, & instructa, vt cum structura ornatus certaret. Hanc ALEXANDER condere voluit; adolescentibus illicium, senibus subsidium, otiosis spectaculum, occupatis diuerticulum, studiosis negotium, sibi gloriosum monumentum. Quare in fronte Bibliothecæ statua ALEXANDRI marmorea bicubitalis affabrè facta à magni nominis sculptore Dominico Guidi excelsa in solio collocata Pontificali eximio habitu eleganter expresso: solida, sed tribus per interualla coronis distincta Tiara insignis, lemniscis hinc inde pendentibus, ad maiestatis augustæ specimen composita visitur, læua librum aptè in loco preferente, dextera ad benedictionem, porrecta, quasi accedentibus faustitatem

impertiat, & ad societatem studiorum
inuitet. Adeò vt ambiguos spectatores
reddat, vtra magis alteram deceat, Au-
la effigiem, an effigies Aulam? nisi quod
hæc, animæ instar, vitam Bibliothecæ vi-
detur præbere.

Hanc ex voto beneficij litterarij cau-
sa concepto Illustrissimi Domini Aduo-
cati Sacri Consistorij, curante imprimis
Rectore Illustrissimo ac Reuerendissimo
D. Carolo Emmanuele Vizzanio eruditi
ingenij, grati animi, ac celsæ indolis
Viro, recens fabricari, eoque loco erigi
imperarunt: addita huiusmodi, seruatis
idoneis interlineas spatij inscriptione.

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO

*Quod post Urbem à pestilētia vindicatam
Et ad summam elegantiam,
nitoremque multiplici opere
perductam.*

*Post emendatos populi mores,
Et cleri disciplinam, diuinumque cultum
Sanctius ordinatum,*

Aliaq;

*Aliaq; quamplurima liberaliter posita,
Et salubriter instituta,*

Ne quid

vel ad Ciuium commoditatem,

vel ad amplitudinem Vrbis

deesset:

Liberalibus disciplinis,

& bonis artibus publicè alendis,

excolendisque

Gymnasij adificationem absoluerit,

Bibliothecam

Instituerit, Instruxerit, Dicarit.

Sacri Consistorij Aduocati

P P.

Anno M. DC. LX.

Nec his se terminis continuit ALEXANDRI munificentia. Foras erupit. Deerat medicis exercitationibus locus, vnde herbæ, quarum utilis est cognitio, & salutaris vsus, peterentur, quarum magna vis Romano est in solo. Excogitauit ALEXANDER modū illum parandi,

Est in Regione Transtiberina, vbi olim Ianiculus mons, locus editus, amplo prospectu, insignis trium ingentium fontium, qui ibi erumpunt, scaturigine: Pauli V. opus, à quo & aqua eò corruata, & singuli ibi fontes distincti, ornatu miro, & ad spectandum grato. Propè à tergo pratum amœnum herbarum ferax, nec florum vacuum, arboribus per interualla consitum, vndique muro circumvisitur. Qua parte aditur, domo idonea instructū, quæ & si pro loci angustia arcta, cubicula tamen habet ad hospites paucos excipiendos idonea. Prope ostium Aula est iustæ magnitudinis cum porticu, & sedilibus, vbi confabulandi locus datur eò animi gratia diuertentibus. Visus est ALEXANDRO locus hic congruus medicis exercitationibus, tum quòd solum gignendis herbis idoneum, quarum notitia pollere vult auditores, tum quòd ad exempla huiusce artis experientiæ causa more prisco exhibenda commodum secessum præstaret. Itaque totum illud pratum, prout est instructum, & ornatum, dono dare Lyceo voluit, eique

eique demùm perpetuo iure addixit.

Hæc in mutis ædificijs inter Archite-
ctos & Materiarios ALEXANDER. Nobi-
lius studia promouit. Sex Cathedras in-
stituit, quæ desiderabantur, Authore di-
gnas ALEXANDRO. Primam Dogmaticam de
Controuersijs Catholicæ Fidei. Secundam
Decreti. Tertiam Pandectarum. Quartam
Institutionum Iuris Canonici. Quintam
materiæ Criminalis. Sextam Historiæ
Ecclesiasticæ. Quarum argumentum, qui
consideret, necessarias imprimis Romanæ
Iuuentuti, ac vtiles toti Christianæ
Reipublicæ esse, atque adeò cum domi
ad formandos Catholicorum Iuuenum
animos, tum foris ad refutandos hæreticorum
errores, magno deinceps vsui fore comperiet.

Et verò quoniam ALEXANDRI auspicijs
Sapientiæ Archigymnasium ad summam
dignitatem euectum, nouam quamdam
velut formam, faciemque accepit, vt
quænam illa, & quanta sit constet, opere
pretium erit, statum, in quo antea fuit,
& nunc est considerare. Rectorem
olim scholæ ex Episcopali ordine vnum

habebant. Sixto V. Pontifice id munus ad Collegium Aduocatorum Confistorialium (quo vix vllum est in Toga nobilium) pertinere cœpit, ne vaga esset electio. Exinde communibus Sodalium suffragijs Rector eligitur, atque adeò Rector non ordinarius, sed deputatus dicitur: Annuus Magistratus est. Is propriè scholis præsidet. Huic tamen amplitudine muneris præstat Decanus, qui senior ex omnibus Aduocatis esse solet, & valet prærogatiua antiquitatis. Cæteri Senatores sunt, & ad grauiam quæque consilia adhibentur; & quamquam amplioris sint honestatis, eius tamen, intra Archigymnasium ratio non habetur. Itaque sæpè contingit, vt Viri honorum gradibus præstantiores Decano ob prærogatiuam antiquitatis loco, & autoritate cedant. Penes hos administratio rerum est. Atque vt maior Archigymnasio splendor accederet, creata suprema Romanorum studiorum Cancellariatus dignitas, quæ in literarię potestatis Arce sita eminent. Hanc nunc obtinet Eminentissimus & Reuerendissimus

mus Princeps Cardinalis Antonius Barberinus, & magno cum splendore, qui summo ei Viro quasi ingenitus est, sustinet. Vicarium (Locumtenentem vulgaris dicit) habet Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Leonem Verospium Romanæ antiquæ stirpis, & virtutis Virum, Auditorem Rotæ, & Poenitentiarię Regentem. Reliqui Magistratus sunt
Illustrissimi DD.

Carolus Cartharius Vrbeuetanus Aduocatorum Consistorialium Decanus, Archiui Apostolici in Arce S. Angeli Præfectus.

Petrus Franciscus de Rubeis Romanus Aduocatus Consistorialis, vtriusque Signaturæ Referendarius, Fisci, & Cameræ Apostolicæ Aduocatus.

Carolus Comes Montecatini Ferrariensis Aduocatus Consistorialis, Vtriusque Signaturæ Referendarius, & Prolegatus Urbini.

Marcus Antonius Burattus Romanus Aduocatus Consistorialis, Vaticanæ Basilicæ Canonicus.

Nicolaus Seuerolus Faentinus Aduocatus

catus Consistorialis .

Carolus Emmanuel Vizzanius Bono-
niensis Aduocatus Consistorialis , V-
triusque Signaturæ Referendarius ,
Assessor Sancti Officij , Romanæ Vni-
uersitatis Rector deputatus .

Eusebius de Eusebiji Reatinus Consisto-
rials, & Pauperum Aduocatus .

Franciscus Gluffianus Mediolanensis Ad-
uocatus Consistorialis .

Iulius Cæsar Fagnanus de Cæfarinis, pa-
tria Ciuitate S. Angeli [in Vado Ad-
uocatus Consistorialis .

Dominicus Salomonius Romanus, Sen-
natus, Populique Romanus, & Aulæ
Consistorialis Aduocatus .

Iacobus Gregorius de Rubeis Romanus
Aduocatus Consistorialis Petri Fran-
cisci clarissimi viri Patris coadiutor .

Carolus Saracenus Perusinus Aduoca-
tus Consistorialis .

Prosper Bottinius Lucensis Aduocatus
Consistorialis .

Ministorum magna vis est . singuli ad
minora ministeria obeunda designati .

Magistri olim pauciores, vt initia ferunt;

pro-

procedente die multiplicatis item Ca-
 thedris aucti sunt; semper tamen iusto
 numero, ac præstantes, & in sua quisque
 professione insignes ad Magisterium ele-
 cti, quorum iustum Catalogum, & ac-
 curatum, notata patria, stirpe, doctrina,
 moribus, honestatibus, gestis, lucubra-
 tionibus, texuit, texitque Illustrissimus
 D. Carolus Cartharius Decanus Vir eru-
 ditissimus, à quo iam vnus tomus de sa-
 cri Consistorij Aduocatis in lucem edi-
 tus, alter de Romano Athenæo in scri-
 ptus propediem edendus. Ego ex illis
 primis, quos sicubi erant, doctrinæ lau-
 de præstantes Leo X. euocabat, & libe-
 ralibus stipendijs conducebat, paucos
 nominare volo, quòd eos Paulus Iouius
 in vita eiusdem Leonis Pontificis sigilla-
 tim recenset hoc ordine

Augustinus Sueffanus Philosophiæ Pro-
 fessor.

Christophorus Aretinus Medicinæ.

Hieronymus Butigella Iurisprudentiæ.

Parrhasius Cosentinus, Humanioris li-
 teraturæ, & Rhetorices.

Græcæ linguæ Basilus Calchondilas.

Qui

Qui hodie docent, eos suo loco referemus, ne Cat alogos perpetuos texamus, quòd solet fastidio esse legentibus.

Ad institutum veniamus. Iam pridem agitabat animo ALEXANDER Archigymnasij vndecumque perfecti solemnia celebrare, atque illa quasi natalitia sacro Cardinalium Collegio comitante, consecrare, ac fouere. Commodum accidit, vt hoc anno Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Carolus Emmanuel Vizzanius Rector existeret, Vir insigniter doctus, & prudens, nec minus gnauus, & industrius, qui ea omnia, quæ & cogitaret, & prouiderat Pontifex, re præstaret. Appetebat solempne, ac statum, initij Scholarum tempus, idest dies quinta Nouembris postridie eius diei, qui Sancto Carolo Borromæo Cardinali facer habetur; sed quòd in eam variæ & graues occupationes inciderant, destinarat septimum mensis Nouembris diem ALEXANDER, qui Dominicus futurus erat, eumque omnes auidè expectabant. Verùm ea fuit in eunte mense exorta tempestas, vt dilu-
gium

uium minaretur Vrbi: quæ quoniam,
atrox, & fœda, ac post illam, quæ Cle-
mente VIII. Pontifice, quâ nullam me-
moriam hominum maiorem recolit, ma-
xima extitit, adeò vt institutum ALEXAN-
DRI interruperit, operæpretium duxi pau-
cis eâ describere. Igitur magna, & con-
tinua vis imbrium coniuuratis ad perni-
ciam nubibus in terram se effudit, quæ
cùm pertinax, & multorum dierum esset,
eluuem attulit. Paulatim Tyberis cre-
scere, intumescere, ac eò periculosus,
quòd lentius, non enim subito iras con-
cipit, ac effunditur, sed minas compri-
mit, & tacitus vndas colligit, & lentus
externas aquas è montibus, quos inter-
fluit, expectat, ceu nolit domesticus no-
cere Vrbi, ne ingratus videatur intra
sinum admittenti. Igitur vbi peregrin-
narum aquarum molem in alueum reci-
pit, securus culpæ, quòd alienis sit im-
putanda, extra ripas se euoluit, & inun-
dat Urbem. Sed aliàs ille more amnis
fluxit, nunc naturæ amnis oblitus instar
maris sæuijt. Creuit in enormem altitu-
dinem, ita vt pontis Aelij, nunc sancti An-
geli

geli Arcus, qui satis sunt, ad magnam aquarum molem emittendam in altum, educti; vinceret, & retro ex allifu ad faxofas crepidines actus, per emissaria, certis in locis per vias commodè ad diuerticulum aquarum aperta in Urbem, se infunderet, & iras circa pontem collectas in plateas, & fora effunderet. Itaque domus vbique oppleri aquis, viæ inundare, lacus vbique, & labes fieri, aditus, exitusque ædium obstrui, & liquida ofibdione cingi. Incolæ pauere, & circumspicere, vnde victus suppeteret. Verùm occupauit ALEXANDER non modo famem, sed etiam metum. Innata, prouidentia, accessione experientia iam antè pestilentia tempore erudita, praesentia suppeditauit remedia. Regiones, quibus Tyberis incubuerat, in suas quasi partes cogitatione diuisit, ac singulis curatores praeposuit, collatis pecunijs, quæ in rem essent, & abundè sufficerent. His praesse voluit Eminentissimum D. Flauium Cardinalem, & Excellentissimos Dominos Marium, & Augustinum Chiosios. Incitauit iam currentes: sed erat

nauigandum . Quare ij. comparata ido-
 neis in locis magna vi ciborum , ac mul-
 tis ad eam vbi esset opus comportandam
 baiulis , cymbas parari , ac produci iuf-
 ferunt , in quas cum ipsis descenderent ,
 per vias discurrerent , domos obsessas
 adirent , easque prout necessitas exigeret ,
 cibo , ac potu recrearent . Nec hi de pu-
 blico , aut de constitutis à Pontifice lar-
 giter nummos suppeditante , pecunijs
 sumptus facere volebant , sed priuatas
 suas facultates ad subsidium miserorum
 conferebant . Quo factum vt ex inopia
 abundantia fieret , & metus in gaudiu m
 verteretur . Fœlix illa nauigatio fuit , in
 qua non naufragantium , sed nauigan-
 tium bona in alienas domos intrabant .
 Magna pars fuit , quæ Tyberi gratias
 ageret obfœuitiem , quæ ansam tam illu-
 stri pietati dedit , falsi nusquam se lau-
 tius cœnasse , quàm cum aquis erant ob-
 fessi . ALEXANDER interim vigilare , at-
 tendere , inire rationes opitulandi , præ-
 sens malum eleemosynis auertere , futu-
 rum præcibus publicis indictis præueni-
 re . Attonitum tantæ aspectu pietatis
 tum

Tyberim crederes, confusum, & incertum tota Vrbe errare, donec cùm sui pueret, cessit, & detumuit: relictis tamen humidæ immanitatis vestigijs, quæ adhuc impressa in vijs cernuntur; sed alia in cordibus Ciuium Amor in ALEXANDRVM communis expressit, quæ nulla vnquam delebit obliuio.

Atque vt appareat quantum profuerit Ciuibus ad inundationem coercendam, ALEXANDRI Pontificis virtus, operæpretium me facturum puto, si eximium illud specimen pietatis, quod exhibuit cumpresentius à fluuio periculum fuit commemorem. Nonis igitur Nouembribus qua die collectis aduentitijs aquis enormiter Tyberis creuit, & maiore se vi euoluens stragem, & ruinam minabatur Vrbi, cum animos pauor incefferet, & ex eo tumultus Urbem confunderet, idque ALEXANDER ex alto vbi in speculis erat ad ferendam opem vidisset, commiseratione motus vltra priuatas, quas assidue ad Deum fundebat preces & plures quas iusserat à Religiosis familijs, & Ecclesiasticis Ordinibus ad præcipua Urbis Temp
pla

pla solemniter supplicationes fieri, vnam
 singularem voluit in eo rerum articulo
 instituere. Itaque vocatis qui ea die
 Reipub. causa in Curiam conuenire so-
 lent Patribus, supplicationem ad Sanctæ
 Mariæ Maioris indixit, quam fieri voluit,
 & à Patribus, qui tum aderant, & ab in-
 timis sibi, & assuetis Aulæ, cuique ipse-
 met interesset. Ergo bini omnes, ac pe-
 dites more precantium silentio incedere:
 ALEXANDER ponè, pedes item sequeba-
 tur, manu prætento piacularium Orbicu-
 lorum filo (Rosarium vocant) quos ip-
 se singulos redditis numeratò precibus
 religiosè percurrebat. Hac specie reli-
 giosæ pompæ in Templum venit: vbi sa-
 crosancta Eucharistiæ Hostia palàm in-
 conspectu erat. Ibi multæ, ac piæ inter
 sacros concentus ab omnibus conceptæ,
 ac fusæ preces. ALEXANDER in genua
 prouolutus vnam ferme horam precan-
 do consumpsit. Mouit ea supplicatio
 Superos. Senserunt non in solis Clau-
 bus Pontificum, sed in precibus etiam
 pondus esse. Dum oraret, cœpit decre-
 scere fluuius, & metu Ciues liberare. Ac
 de

de eo monuerunt certi Nuncij ALEXAN-
 DRVM, qui precibus in gratias versis, fi-
 nem demum precandi fecit. Orauit
 ALEXANDER quasi imperasset: cessit Ty-
 beris quasi obaudisset.

Redacto ad Alueum fluuio, & soluta
 metu Ciuitate suscepit studium dedican-
 di Lyceum ALEXANDER: edixit in diem
 Dominicam sequentē (ea postridie Idus
 Nouembris erat) opus destinatum, &
 quæ ad id necessaria erant parari iussit,
 quorum magna pars ad Eminentiss. D.
 Cardinalem Antonium Gymnasiarchum
 spectabat; apud quem omnia magnifica
 in promptu sunt. A sacris principium.
 Aedem prius solemni ritu iussit benedi-
 ci. Maiore apparatu Ara consecranda,
 in qua primū à Pontifice faciendum.
 Ergo id Cardinali Gymnasiarcho Anto-
 nio mandatum, quem & officium exige-
 bat, & locus propter magnificentiam,
 optabat. Insignia Martyris alicuius lip-
 sana, quæ sacratius Altare redderent,
 quærebantur. Haud multo ante iusta
 erga Patriam pietate commotus inuen-
 tum Alexandri Martyris corpus Senam
 Urbem

Urbem, in qua splēdidos natales habuit, destinarat. At Sedem Sapientiae dicatam patriae anteposuit. Itaque illud, uti erat iam ex antè præparatum, Romanis Professoribus, quàm Ciuibus Senensibus donare maluit. Ac ut de fide depositi corporis constet, æquum erit, quo loco reperi- tum fuerit commemorare. Igitur in Cē- meterio Priscillae marmor cineracei coloris, nigris distinctum venulis humi in- uentum in loco ad speciem monimenti composito, quod ipsa figura, & situ oc- cultum corpus indicabat. Etenim penè quadratum, & operculi instar erat lon- gum palmos duos, unciam unam: altum palmum unum, uncias tres: crassum un- ciam unam. Hoc Epitaphium ita inscri- ptum præferbat.

ALEXANDER
DEP VIDVS
OCTOBRES

A X W

Nomen erat expretum characteribus
vnius vnciae, secunda, & tertia linea,
constabat litteris sexquincialibus; vlti-
mae litterae graecae duarum erant vncia-
rum: has manu sua accuratè descripsit
Decanus D. Cartharius eximia fide. Re-
cognitum, & mensum diligentissimè ab
Equite Borromino, insigni huiusce ætatis,
quod multa, & præclara in Vrbe ab eo
fabricata opera testantur, Architecto.

Aper-

Aperto loco extitit corpus clausum lignea capsula prisca operis, ac eo venerabili. Extractum inde ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Ambrosio Landucio Episcopo Porphyriensi, Sacratio, & cymmelijs Pontificijs (Sacristam vocant) Praefecto. Qui ad lipsanothecam relatum diligenter, ac religiosè custodiebat, Senas, ex praescripto ALEXANDRI, missurus. Verù de mandato Pontificis die Saturni, & pridie eius Dominicæ ad Archigymnasium illud detulit, & Eminentissimo Cardinali Antonio in veteri Sacello religiosè tradidit; ita vt ossa Episcopus è capsula, quam attulerat, singulatim de manu sua in manum Cardinalis traderet, à quo eadem in nouam, quæ praefectò erat, capsulam inferebantur, donec totum inclusum est corpus. Erat autem, hæc interiùs plumbo infuso incrustata, & operculo item plumbeo operata: exteriùs cypressina, & cypressino item operimento tecta. Postquam hoc impositum fuit, plumbea capsula octo in locis sigillo suo impresso Cardinalis muniuit, & tribus clavis firmari iussit, ac singulis item

idem sigillum impressit, ne quid Religioni, fideique deesset. Sic instructam, & munitam, serico, intexto auro, velamine inuoluit, & in Ara Veteris Sacelli reliquit, vt postera die in nouam transferret. Non dum illuxerat, cum Cardinalis domestico, id est splendido, comitatu adfuit, ac omnes penè anteuertit, paucis in quibus D. Cartharius Decanus, D. de Rubéis, & D. Burattus, exceptis. Hi vigilarant, ac venerant antelucani in vetus Sacellum cum Cardinali, nec moratus est D. Vizzanius Rector, etsi longius in extremo suburbio habitaret. Tū Antonius parari, & Pontificijs vestibus indui cœpit; concurrente interim cæterorum Magistratum, & Professorum, & aliorum multitudine. Accensis cereis capsa, lipsanorum repositorium, denuò detecta, recognita, & iterum cooperta. Mox præeunte in speciem iustæ pompæ qui aderat Populo; Cardinalis infulatus in Ædem nouam se transtulit. Parata, erant ad consecrandum Altare omnia. Rē peregit Eminentissimus Princeps Antonius religiosè, antiquo, & Romano ritu.

ritu . Ministrantibus Sacri Consistorij
 Aduocatis D. Buratto, loco Diaconi, &
 D. Bottino, loco Subdiaconi . Peracta,
 Consecratione in honorem Santi Iuonis,
 reditum in vetus Sacellum, vbi deposita
 reliquiarum capsula interim fuerat: ea ac-
 cepta, & in nouam Ædem magno cum
 comitatu, & splendore, deferente Cardi-
 nale, deducta, vt in sinum Altaris conse-
 crati honestè conderetur. Altare sic erat
 constructum. Moles lapidea clausa vn-
 dique, & obturata, parte auersa parie-
 tem respiciente aperta, & fenestella in-
 aduersa, aream versus, ad conspectum,
 reconditorij patente. Ostiolum palmæ
 duæ decussatim positæ, & aurea corona
 in nexu vtriusque, vbi coibant, indita,
 insigne reddebant. Desuper ingens &
 solidum marmor perpetuum impositum
 Aræ loco, ac proinde ex integro sacra-
 tum. Ornatus elegans, & pretiosus. In-
 tus erat ligneum, ex cupressu reposito-
 rium oblongum ad recipiendam mino-
 rem capsam idoneum, Vrnæ instar, sinu
 capaci. Intra hoc immissa capsula, qua,
 inducta, & in locum accommodata alia

operculo clausa, & diligenter obturata fuit, extantibus item palmis, & diademate aurato, quod operculum præferbat. Demum pars Altaris adhuc hians occlusa, aduoluto marmore, in quo descriptum proximè Epitaphium erat incisum, & ostiolum calce obductum. Perfunctus munere Gymnasiarchus tamdiù expectauit, dum ALEXANDER adesset, sacra facturus. Ingens Primatum concursus factus. Rapiebat omnium oculos Ædes aulæis è damasceno serico, aureis distincto venis conuestita, & belluatis interpositis peripetasmatis variegata.

Altare multis illustre luminibus ardebat. Nec diu Pontifex absuit cum solita corporis custodia, & solemnī comitatu. Cardinales partim præcesserant in veteri Sacello excepti, partim comitabantur Pontificem. Cæteri paulatim superuenere; omnes in ædem sedilibus hinc inde positis accepti: utpote qui operanti Pontifici adfuturi. In promptu erant omnia ad rem diuinam faciendam necessaria. Ergo vestiri Sacerdotali more ALEXANDER, cani exordia,
(iam

(iam pridem Cantores adfuerant) suffiri
 Altare, accedere ad Aram Pontifex, &
 Missam inchoare. Quæ ritè peracta cum
 se ex ea ALEXANDER de more parum
 precandi gratia collegisset; itum in su-
 periores ædes, quæ turba, & tumultu
 feruebant: sed breui interuentu custo-
 dum corporis, ea remota, hic compres-
 sus: aditusque in aulam Scholarum maxi-
 mâ, Põtifici, qui præibat, & Cardinalibus
 ponè sequentibus factus. Præmissi eò
 fuerant Professores omnes. Secuti Pa-
 tres Purpuratos Aduocati Consistoria-
 les Archigymnasij Præfecti, ac reliqui,
 quorum erat officio cum dignitate inte-
 resse. Aula, quæ amplissima, mirè ele-
 gans exquisito paratu (nempe Cardina-
 lis Antonij) erat, Aulæis vndique è da-
 masceno, intercurrentibus aureis venis,
 serico conuestita, strata pretiosis tapeti-
 bus. In fronte solium aureo fulgore ni-
 tidum edito in loco eminebat, quod de-
 super umbella phrygionico cõtecta ope-
 re tegebatur. Infra subiectos gradus bom-
 bycinis velis obductos premebat, vt au-
 gustior altè sedentis species esset. Me-

dius aulæ, ad passus decem, vacuus erat locus : à dextra, læuaque sedilium perpetuorum series tendebatur, alta pedes duos, tabulatis à tergo erectis, vt commodius sedentes exciperet. Ingresso ALEXANDRO, & in parato folio sedente, Patres in duobus sedilium ordinibus ab vtroque latere solij in aream ductu perpetuo excurrentibus confederunt. In gradibus iuxta folium duo Viri Principes hoc ordine steterunt. Dextrum primum Illustrissimus, & Excellentissimus D. Legatus Sabaudix. Sinistrum primum Illustrissimus, & Excellentissimus D. Marius Pontificis Frater. Secundum dextrum Illustrissimus, & Excellentissimus D. Augustinus Chisius alterius ALEXANDRI Fratris filius. Secundum sinistrum Illustrissimus & Excellentissimus D. Laurentius Columna Comestabilis institerunt. In Area ad Sinistrum latus prope Sedilia Cardinalium stabant D. Franciscus Maria Phæbeus Vrbeuetanus, vtriusque Signaturæ Referendarius, Vaticanæ Basilicæ Canonicus, Sacris Ritibus, & Cæremonijs Præpositus.

D. Iacobus Ninius Cubiculo Pontificio
 Præfectus, supplicum libellorum Magi-
 ster, & Basilicæ Liberianæ Canonicus.
 D. Clemens Accarifius Pyncerna San-
 ctitatis suæ, & miles Hierosolymitanus.
 Sedato tumultu Præsul Verospius, &
 omnes Aduocati Consistoriales, Reli-
 gionis, & officij, & gratulationis ergo,
 ad oscula pedum accessere, ordine Aca-
 demico seruato, & ex omni numero qua-
 tuor tantum defuerunt, nempe Monte-
 catinus, Iacobus Gregorius de Rubeis,
 & Saracenus ab Vrbe absentes, atque
 Eusebius aduersa valetudine domi de-
 tentus. Tum omnium in suggesta con-
 uersi oculi. Erant infra Sedilia Cardi-
 naliū ex utroque latere erecta pulpita
 duo ornatissima, ad dicendum parata.
 Hic alternis dicturi pro rostris Professo-
 res, ad quos attinebat. Hi autem Prin-
 cipes facultatis erant. Dixit è dextro
 suggestu R.P. Magister Frater Petrus Ma-
 ria Passerinus de Sestula Procurator Ge-
 neralis Ordinis Prædicatorum Primus
 Theologus. Eius Oratio huiusmodi fuit.

DE fide, spe, & charitate tractaturus in presentis anni Theologico cursu mihi B. P. ex S. V. benignitate demandato, in hoc Lectionum mearum primordio omnium ex fidei præcepto credendorum Te P. B. infallibilem Magistrum confiteor, Interpretem fidelissimū cognosco, & inerrabilem Iudicem adoro. Hæc conclusio sit omnium à me dicendorum firma basis, & stabile fundamentum. Romanus Pontifex verus Christi Vicarius, & indubitatus Petri Apostoli successor est Orbis Doctor, mundi Magister in ijs, quæ fidei, & religionis sunt, docendis, interpretandis, diiudicandis, determinandis, nec falli, nec fallere potens. Nihil quidem est, quod hæretici quamuis inter sese crudelissimi hostes, omnium vnanimi sensu acriter adeo infectentur, quàm hoc Romani Presulis infallibile magisterium. Sed quid mirum?

sicut

sicut nunquam pueri virgas, quibus corriguntur; nunquam canes baculos, quibus cæduntur; nunquam lupi canes, quibus coercentur, dilexerunt: sic semper hæretici Romanæ Ecclesiæ disciplinam detestati sunt.

Sed positam conclusionem hoc uno enthimemate breuiter probo. Petro ouium suarum Pastori, & plebis suæ Duci infallibile fidei, & religionis magisterium, ut in Ecclesia in æternum duraturum Christus contulit; Igitur illud idem secundum temporum successiones immutabiliter in Romano Pontifice perseuerat. Antecedens habeo probatum ex verbis Christi Matth. 15. fidem Petri commendantis, & dicentis: Tu es Petrus &c. quasi diceret interprete S. Leone: Tu quoque ò Simon petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi participatione commu-

munia . Et super hanc petram, hoc est supra hanc fortitudinem tuam eternum extruam templum, & Ecclesie mee Caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget . Hanc confessionem portae Inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt . Ex Christi igitur institutione Petri Pastoris fides indefectibilis Ecclesiam in verae fidei confessione in eternum duraturam fundat, & adeo sustentat, ut eam sub sui Praesulis providentia cautam, nec haereticorum ineptissima vanitas fraudibus agens, nec gentium veterinosus error violenter aduersans, nec totius Inferni Sathanicus impetus aliqua ex parte conuellat.

Addo, & cum eodem S. Leone sic urgeo : Nunquid non omnibus Apostolis commune fuit tentationis periculū? nunquid non omnibus communis diuinae indigentia protectionis? & tamen Christus

solum pro Petri fide Patrem rogat: Ego
 autē &c. (Lucę 22) Petri specialis à Deo
 cura suscipitur, & pro fide Petri propriē
 supplicatur, tanquàm aliorum status cer-
 tior sit futurus, si mens Principis vi-
 cta non fuerit. In Petro ergo omnium
 fortitudo munitur, & diuinę gratię
 ita ordinatur auxilium, ut firmitas,
 quę per Christum Petro tribuitur, per
 Petrum Apostolis conferatur. Duret
 igitur in eternum Ecclesię vera fides;
 templum hoc eternum non cadat, non
 ruat; inter errorum tenebras fulgeat Ec-
 clesia quasi stella matutina in medio ne-
 bulę, procedat quasi Luna plena in die-
 bus suis, & quasi Sol refulgens in meri-
 die undique dissipet errorum tenebras,
 undique radios diuinitatis effundat; sed
 ne occupet eam Chaos, & caligo tenebra-
 rum, splendeat indefectibili luce mens
 Petri eius Principis, & in Petro Pastore

omnium fortitudo muniatur, ut firmitas
 per Petrum cæteris conferatur. Per Pe-
 trum? Igitur nunc per Romanum Pon-
 tificem in Cathedra Petri sedentem. Cõ-
 sequentiam mihi probatam donant SS.
 Præsules Ignatius Patriarcha Constanti-
 nopol. in epist. ad S. Nicolaum Papam
 primũ, quæ habetur approbata in Synodo
 8. aetione 3. & Leo Papa Nonus, epist.
 synodica ad Petrum Antiochenum: Ille
 de verbis Christi fidem Petri laudantis
 sic dicens: Tales enim beatas voces non
 secundum quandam utique sortem Apo-
 stolorum Principi solum circumscripsit,
 & definiuit; sed per eum ad omnes, qui
 post illum secundum ipsum efficiendi erant
 summi Pastores, & diuinissimi, sacrique
 Pontifices senioris Romæ transmisit. Leo
 verò de Christi oratione pro Petro subiun-
 gens: Quæ venerabilis, & efficax oratio
 obtinuit, quod hætenus fides Petri, nec
 de-

defectura creditur in throno illius in se-
culum seculi, sed confirmabit corda fra-
trum varijs concutienda fidei pericli-
tationibus, sicut hucusque firmare non ces-
savit. Non ergo solus Petrus, imò so-
lus Petrus in se, & in suis Successori-
bus est petra fidei, super quam erecta Ec-
clesia, arx est munitissima, ad quam
quacunq; mundi ex parte fides pericli-
tata confugiat.

Et cur non ita à Christo factū fuisset?
Vulneratur fides multitudine sententia-
rum, scinditur pluralitate opinionum,
tollitur omninò, & perit, cum diuiditur,
vt quot sunt voluntates tot sint fides.
Absit vt in Ecclesia non idem sentiamus
omnes in idipsum. Absit vt dicamus
alius ego sum Cephe, alius ego sum Pau-
li, alius ego sum Apollo. Absit vt in
Christi Ecclesia tot sint schismata, quot
Sacerdotes. Vna est Ecclesia Christi,
vna

vna Christi sponsa, vnū Christi ouile,
 vnus Thronus regni sui, vnū Tribu-
 nal, vna Cathedra. Vnius ergo fidei v-
 nus sit Doctōr, Vnius Ecclesiæ vnus
 Sponsus, in vno ouili vnus Pastor, in v-
 no Throno vnus Præses, in vno Tribu-
 nali vnus Iudex, in vna Cathedra vnus
 Magister Petrus, & Petri successor, sum-
 mus omnium Pontifex, eminens vertex
 Episcoporum, Presbyterorum summus
 apex, Oecumenicus Patriarcha, Vni-
 uersalis Archiepiscopus, heres Apostolo-
 rum, Hierarcha eximius, Sacrorum sum-
 mus Antistes in plenitudinem potestatis
 assumptus, Pater Patrum, ad quem
 spectat sollicitudo omnium Ecclesiarum,
 æterni Regni Clauiger, Paradisi Ia-
 nitor, in terreno Iudicio Cæli Iudex.

Secundus è sinistro D. Iosephus Pala-
 molla Policastrensis Primus Canonum
 Professor hoc modo,

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam
 Matth. 16. can. in nouo 2. dist. Dicit
 prima Veritas, & prima petra. Sicut ego
 sum petra inuiolabilis, can. fidelior 50.
 dist. Sicut ego sum lapis angularis, qui
 facio utraque vnum. can. in nouo 21.
 dist. Sicut ego sum fundamentum, præter
 quod nemo potest aliud ponere. can. cum
 Paulus 1. q. 1.

Ita quoque: tu es petra, & super hanc
 petram ædificabo Ecclesiam meam: super hanc
 fortitudinem extruam æternam Ecclesiam tem-
 plum S. Leo PP. in can. ita Dominus
 19. dist. can. quamuis 21. dist.

Tu es Petrus &c. ut æterni templi
 structura, mirabili munere gratie Dei,
 in Petri consisteret firmitate Nicol. III.
 in cap. fundamenta de elect. in 6. can.
 omnes 22. dist.

Tu es Petrus à petra dictus, quam

D

con-

confessus es, quam cognouisti dicens :
*Tu es Christus filius Dei uiui; & su-
 per hanc petram, idest super me ipsum
 edificabo Ecclesiam meam. S. Anacletus
 in can. sacrosancta 22. dist.*

*Tu es Petrus; petra enim dicitur, eo
 quod primus in nationibus fidei funda-
 menta posuerit, & tanquam saxum im-
 mobile totius corporis Christianitatis mo-
 lem contineat. S. Ambrosius in can. fide-
 lior 50. dist.*

*Tu es Petrus, qui sibi antea infirmus
 fuerat, fieret omnibus firmamentū; et qui
 ipse interrogationis tētatione nutauerat,
 ceteros fidei stabilitate fundaret. S. Am-
 brosius in can. considerandum, & can.
 fidelior 50. dist.*

*Tu es Petrus; cui Beatō eterne uite
 Clauigero terreni simul, & cœlestis Im-
 perij iura commisit. Nicolaus II. in can.
 Omnes 22. dist. Et tibi tradidit Deus*

omnia Regna mundi Extrauag. si fratrum. Ioannis XXII. Quodcumq; ligaueris super terrā, erit ligatū et in Calis. S. Anacletus in can. in nouo 21. dist. can. quamuis ead. dist. Hieremie 1. Ecce constitui te hodie super gentes, & Regna, ut euellas, & dissipes, edifices, & plantes Innocentius III. in cap. solite de maiorit. & obed. c. nouit de iud. can. si Imperator 96. dist.

Tu es Petrus. Et bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus. S. Ambrosius in can. re vera, de consecrat. dist. 2. ubi gloss. verb. petra.

Tu es Petrus, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet S. Leo PP. in can. ita Dominus 19. dist. can. cum Beatissimus 24. q. 1. c. fundamenta de elect. in 6.

Tues Petrus, & super hanc petram
 Aedificat super unum, quia unica est
 Ecclesia. Vna est Columba mea, perfe-
 cta mea, vna est matri suae, electa geni-
 trici suae. Vnum Corpus. Vna spes vo-
 cationis vestrae. Vnus Spiritus. Vnus Do-
 minus, vna fides, vnum Baptisma, vnus
 Deus. S. Cyprianus in can. loquitur Do-
 minus 24. q. 1. & S. Anacletus in can.
 sacrosancta 22. dist. Vbi Apostolica Sedes
 caput, & cardo est omnium Ecclesiarum à
 Domino, et non ab alio constituta. Sic in c.
 ad honorem, de auctorit. & vsu pall.
 Petrus in plenitudinem potestatis in toto
 Orbe est assumptus; sic in c. fundamenta
 de elec. in 6. Petrus in consortium indi-
 uiduae unitatis assumptus.

Tu igitur B. P. es Petri Successor
 c. 1. de translat. Episc. can. cuncta per mun-
 dum 9. q. 3. Christi Vicarius Clement.
 Romani de iur. iur. Imo Vicarius veri
 Dei

Dei. Innocentius III. in c. quanto de trā-
slat. Episc. ibi; qui non puri hominis, sed
veri Dei vicem gerit in terris; & dein-
de: Non humana, sed Diuina potius
authoritate dissoluit. Reddit rationem in
c. nouit de iud. Quia potestas nostra non
ex homine, sed ex Deo est.

Tu tandem es Director Dominici
gregis, à quo reliqui Episcopi in plenu-
dinem potestatis sunt vocati: ut in Conc.
gener. Lugd. sub Greg. X. relato in cap.
ubi periculum S. cæterum de election.
in 6.

Tertius è dextro D. Iosephus Car-
panus Romanus primus Legum Doctor
dixit hac ratione.

CV M in postremis lectionibus è
prima vespertina Iuris Ciuilis or-
dinaria sede, quam humanissima tua be-
neficentia, licet immeritus, sum assequu-
tus. B. P. exposuerim antiquissimum Præ-

toris edictum * de operis noui nuncia-
 * I. Præ- tione, illam per opportunè in hanc felicis-
 tor ait in simam diem reieci quæstionē, Num lau-
 princ. & ff. de o- dem, eamque non exiguam nouitas me-
 §. deinde der. nou. reatur. Mirum quippe videri potest, aut
 ff. de o- per. nou. nunc. etiam debet, quòd vlla commendatione,
 nouitas sit prosequenda, dum edicto
 * d. I. Præ- prohibetur * Cesareo: sed & illud mi-
 tor ait §. hoc inter rabilius, cur non sit summopere celebrā-
 dictum, da, cum Pontificio tuo tam præclare re-
 prohibi- splendet in factò. At nodus hic tam tuo
 torium Pontificio factò, quàm Cesareo soluendus
 est. edicto est. Factò scilicet tuo perdisceat
 non Romana modò Inuentus, sed Orbis
 planè vniuersus, quæ nam vitanda sit
 nouitas, quæ sequenda. Alia quippe est,
 quam ducit honestas, comitatur vilitas,
 virtus fouet; & hæc in omni tuo
 renidet opere: alia, quam trahit libi-
 do, fraus operit, exaggerat lis; & hanc
 ne vicinorum edificijs, aut lumina pro-
 hi-

hibendo, * aut auras intercipiendo saluta-
res, * detrimentū intentet, iura coërcent
Imperialia. Verū enim vero præclara illa
nouitas, quā tua in hac amplissima Vrbe
rutilat vndequaque munificentia, per
quam tum ædificiorum, platearum, viarū,
fontium, templorum crescit indies pul-
chritudo, atque maiestas: tum corporum
vigor, ordinum decor, morum animorum-
que concinnitas, ac virtus augetur, am-
plificatur, attollitur, non modò placebit
idētidem repetita, sed sicut votis est om-
nibus amplectenda, ita tanquam præsen-
tis edicti finis, atque anima, * linguis
prorsus omnibus concelebranda est; quan-
doquidem quæ lex priuatæ consulit utili-
tati, publicam profectò non contemnit, sed
efficacius curat. * Vtque cetera pertrā-
seam, quæ delectabilior, quæ utilior, quæ
gloriosior unquam nouitas, quàm Aedes
hæc Sapientiæ, illis hætenus vocibus ex-

* l. lumi-
num l. in-
ter ser-
uitutes
* l. si ar-
borem,
ff. de ser-
uit. Vr-
ban. Præ-
dior.

* l. i. §.
nuncia-
tio, & ibi
DD. ff. de
oper. no-
ui nunc.

* can.
erit au-
tem lex.
4. diff.

posita, hinc fabricari est cœptum, quod ab-
 solui non potuit, * nunc demum tuo ma-
 ximo beneficio, toto ambitu perfecta, &
 bibliotheca, hortoque medico instructa,
 ac novis exedris aucta, vel cum ipsa cer-
 tare videtur æternitate. - Iam enim hinc
 Roma, hinc Orbis expectat, ut solidissima
 propagentur fundamenta virtutum, ut
 per liberos se se tractus diffundant lumi-
 na scientiarum, ut salubres ex litterarijs,
 medicisque viridarijs in corpora, men-
 tesque transpirent ubertim auras, ut no-
 ua semper accessione nobilium studiorum
 non solum suprema humane molis portio
 aditum sibi ad vitam reseret sempiter-
 nam: verum ipsamet aspiret mortalitas
 ad immortalitatem. Huic autem tã ma-
 gno, tam splendido bono, non modò Pre-
 toris non obsistit edictum, sed & liuoris,
 ac temporis edacitas, et mortis ipsius im-
 perium, Tartarique latratus cedunt. At
 quid

quid inquam cedunt? imò eò laudant,
 plauduntque patentiùs, quò nouitate hac
 præclarissima non præsentiduntaxat se-
 culo, velut unico tantùm Orbi, sed
 futuris omnibus ætatibus, quasi totidem
 mundis gloriosissimè prospicere Te præ-
 sentiunt, præfagiuntque P. B. Siquidem
 non vnus contentus populis benefecisse,
 contraria quadam ratione Macedonis il-
 lius umbratilem gloriam solidâ longè su-
 perasti virtute; adeout sicut illius inex-
 plebilem regnandi cupiditatem non tam
 satyricè, quàm verè Poeta perstrinxit,
 inquiens.

Orbis Pelleo Iuueni non sufficit vnus.

Ita de Te longè verius non tam canere,
 quàm vaticinari oporteat.

*Vnus ALEXANDRI non sat virtutibus
 Orbis.*

Quartus exaduerso D. Benedictus Ri-
 ta Leoniffanus Theoricæ Medicinæ Ma-
 gister hunc in modum.

Oc-

Iuueni
 satyr.

Occasionem, Beatissime Pater, quam
 volucrem, ac precipitem Aphor.
 1. mirus decantauit Hippocrates, in me-
 dicina facienda primum obtinere locum,
 nemo sanæ mentis inficias ibit; per occa-
 sionem enim intelligimus ex Romano O-
 ratore, ac philosopho lib. 1. de officijs ido-
 neum tempus ad aliquod agendum, vel
 non agendum, siue ex Hippoc. tempus op-
 portunum, in quo non multum est, quod
 idem Sapiens Senex de locis in homine
 pronunciat, tempus est in quo $\kappa\alpha\epsilon\epsilon\varsigma$,
 $\kappa\alpha\epsilon\epsilon\varsigma$ verò, in quo tempus non multum,
 ubi etiam per $\kappa\alpha\epsilon\iota\alpha$ temporis breui-
 tate intelligit, in qua captanda medici
 sapientia emicare consuevit; occasione e-
 nim non cognita, imperiti toties peccant,
 quoties præsidia egrotantibus apparant,
 & multa solliciti agunt, ne non solliciti,
 vel ne nihil agere videantur, ut quere-
 batur Quintilianus, cum absente occasio-
 ne

ne summum sit medici opus nullam adhibere medicinam; at presentem occasionem nemo agnoscit, nisi qui iudicio, eruditione, ac experientia præcellat, eoque minùs agnoscit, quo illa fugacior, atque adeò hoc loco ab Hippoc. addita est particula ὄξυς quæ acutiem significat, hoc est, tempus agendi quàm angustissimum, cum quotidiana nos doceat experientia ob intempestivam dilationem ægrotos perire; Quare Hippoc. in Epist. Crateuam admonet, procrastinationem in omni arte malam, potissimum verò in Medicina, in qua dilatio vitæ periculū parit, quod exemplo aque rapidè currentis illustrare licet, in qua si quis manum suam imponat, attollat deinde, iterumq; ponat, eandem minimè continget aquam; ita singulis horarum momētis corpus variatur, & primarum qualitatum in elementis inuentarum harmonia dissolvitur;

tur; quare in diuinis literis dictum est,
 sicut aquæ dilabimur, & eleganter Se-
 neca flumini humanum corpus cõparat;
 manere enim Tiberis nomen ait, sed flu-
 xisse aquam, nec nos eosdem esse hodie,
 qui heri fuimus. Cùm itaque corpus ce-
 lerrimè permutetur, nec minus humores
 suos varient motus, quàm suos sydera a-
 spectus, conuersionesque discriminent,
 fit ut opportunũ tempus agendi ocysimè
 effugiat, cum ex Iano Damasceno non
 sit idem morbus de mane, & de sero, nec
 eadem sanitas de sero, & de mane con-
 seruatur. Medicinæ enim difficultas con-
 sistit quidem circa morborum diagnosim,
 ac prognosim, causarum procatarticarum,
 antecedentium, & coniunctarum per-
 spicacem indagationem, indicantium,
 contraindicantium, permittentium saga-
 cem intelligentiam, medicamentorum
 inuentionem, quantitatem, & qualitatẽ,
 que

quæ adipisci non facile est, sed multo
 magis arduum est, quoniam morbi tempo-
 pore, & qua hora sit remedium admini-
 strandum. Philonis filia intempestivè
 cœnavit, inquit Hippoc. lib. 1. Epid. sect.
 3. tex. 33. ideo obiit, quia lautius come-
 dit die critico, quo maximè abstinere de-
 buisset. Euryanactis filia racemum co-
 medit, ex eo quis fortè argumentum va-
 letudinis deprompserit, at illa interijt,
 ut narratur lib. 3. sect. 2. egrot. 6. Quot
 etiam agri, dū vires colligere haustu me-
 ri meditantur, ut colluctentur cum mor-
 bo, precipitem mortem febrī aucta sibi
 intulerunt, quoties hydrotica, alexiphar-
 mica, & bexoartica intempestivè porre-
 cta multos resolutis viribus sustulerūt.
 Iure ergō Veteres occasionem cum noua-
 cula depingebant, quam dextræ insertam
 gerebat, quòd omni acie acutior existat
 occasio, & Gal. lib. 12. de usu partium
 me-

*medicæ Artis præstantiam ex occasionis
 arripiendæ difficultate colligit (in illis
 inquit omnibus industria admirationem
 concitat, in quibus Symmetria ipsa an-
 gustis adeo terminis circumscripta est, ut
 si tantillum addideris, vel abstuleris to-
 tum opus euertas, quæ verò habent latitu-
 dinem magnam, ea vel imperiti possunt
 efficere, quòd si quid angustum fuerit, ac
 sine ulla latitudine, id non cuiusuis sa-
 pientie, atque experientie est putandum)
 Cum ergò sanitas in Symmetria, morbus
 in ametria consistat, atque Medicina ex
 Hippoc. lib. de vet. med. sit ἀεὶ δεξιῆς καὶ
 ἀριστερῆς ἀδιέκτιο nempe, & detractio,
 difficillimi operis medici in eo cardo ver-
 titur, ut occasiones detrahendi, vel ad-
 dendi opportunis temporibus arripiantur,
 subijciente eodem Gal. (ob eam sanè cau-
 sam) cum Hippocrates ipsam medicinã
 artem longam esse dixisset, subdidit, oc-*

casio autem præceps, quia nisi occasio esset
 præceps, sed latitudinem haberet magnâ,
 haud quaquam longa esset. Longa itaq;
 ars est, quia præceps occasio; nam ad præ-
 cipitis occasionis in medendo momenta
 arripienda, eruditione ingenti, pruden-
 tia singulari, lōgiori experientia opus est;
 atque adeo medicum oraculum imperat,
 ut medicus in omnes occasiones bene ge-
 rendi intētus sit. Semper profis, ne quid
 noceas. Hæc meditare, nihil negligere: Ete-
 nim (ut sapienter Isocrates in parnesi
 ad Demonicum docet) quidquid non tē-
 pestivè, nec in loco fit, ubique molestum
 est; ac Sophocles de occasionis præstantia
 enunciat, hominibus quocumque in nego-
 tio tanquam Magister maximus est occa-
 sio, utque Vegetius lib. 3. in re militari
 occasionem ad triumphum referendum
 plurimum pollere, ait. Occasio, inquit, in
 prælio amplius solet iuvare, quàm virtus

(ut

(ut Theologi mystici docent) precipitem esse huius Vitæ occasionem, ex cuius singulis momētis pendeat æternitas: ut prudens mercator in foro permutandarum mercium occasiones aucupatur: ut diligēs colonus satiuum tempus obseruat, ita Poeta de medicinæ porrigendæ occasione concinit.

Temporibus medicina valet, data tē-
pore profunt.

Et data non apto tempore vina no-
cent.

Nostra etiam natura in humidis cō-
sistit: quæ verò in humidis instabilia es-
se ex Hippocrate confirmat Galenus, qui
in comm. lib. I. prog. hæc habet; ita vo-
lat occasio, ut aliqui hac aura vitali de-
stituantur, priusquàm vocetur medicus,
aliqui verò accito medico, illicò pereunt,
quemadmodum maritus Lechus, qui die
oetava moritur ictericus, cum septima
fue-

65
fuerit vocatus Hippocrates, qui lib. de arte
hanc habet sententiam, omnem morbū curari
posse, si Medicus opportunā occasionem non
amittat. Valeant igitur, qui presente occa-
sione in crastinū diem phlebotonicā, aut ca-
tharticam potionem, aut putridæ partis ex-
cisionem, vel vstionem differunt; Nā in A-
thletica plethora Hippoc. 3. Aphor. ne ex ve-
narum interceptione, vasorumq; maiorū ru-
ptione repentina morte pereant, qui ad sum-
mū valetudinis apicem peruenere, bonum
habitum his statim soluere expedit, etsi phle-
gmone systrophica fiat, pro virium ratione, et
ætatis cita sāguinis detractio imperatur; quia
fugit, ac volat, imo auolat occasio, & parue
occasiones (vt inquit Demosthenes) parue, in-
quam, occasiones magnarum rerū cause exi-
stūt, vt scintilla incendiū maximis lapsaque
occasione, & letho urgente non sapientis erit
dicere, non putarā; Et iure Pittacus celebra-
tissimā inculcabat sententiā ἡνδρα ἄνθρωπος
hoc est agnoscere occasionē. Iubenturq; Prin-

E

cipes

cipes in Republica administranda, et rationi, et rebus ipsis, et tēporis opportunitati seruire. Quæ omnia perbellè aduertens sanctissimus Pontifex in præterita Urbis calamitate, nec momentaneã pestifera debellã de belluæ occasionem omisit; Belluã enim vastatricem Prouinciarum, ac Populorum pestem appellat Artaxerxes in Epistola, quæ apud Hippocratem extat, his concepta verbis. Rex Regum Artaxerxes peto gaudium. Debellamur non belligerantes, hostẽ enim habemus, bestiam illam ouilia deuastantẽ, dum furente inquam hac belluæ, ac Populum Romanum diserpente, non solũ spiritualibus, sed etiã temporalibus alimētis, suum ouile quam uerberrimè sustentauit; quod mihi magis, quã alijs obseruare licuit, cum Prothophysisci munus exercerem, luctuosissimoq; eo tempore, quo (proh dolor) bonæ artes silebant, ac studia penè sepulta iacebant, euoluto, protinus occasionẽ arripuit, ut non modò fœlicibus illius auspicijs reuiuiscerent, sed, ut magis,

magisq; pristino splendori, dignitatique restitueretur, dum Romani Lycei domicilium molibus auxit, Templū ornavit, Bibliothecam struit, & instruit, & quod magis est, nobilissimam, ac apprimè necessariam facultatem botanicam, cōparato medico horto, instauravit. Sed hæc & consimilia Vrbi, & Orbi per quam notissima enarrando, fortassis astantibus ridiculus videbor, sūma quidem cum ratione; pronunciat enim Aristoteles in lib. Acroamaticis, hoc est de physico auditu lib. 2. tex. 6. Ridiculū est tentare demonstrare dari naturam, quia (inquit Philosophus) manifestum per immanifestum, notū, per ignotum demonstraretur: Propterea si leat, taceat, inquam coram Apolline sciolus.

Quintus dexter R. P. Magister Frater Antonius Marinarius Carmelitanus Metaphysicus Lector; eius hæc fuit oratio.

IN Paradiso voluptatis miserè preuariatatus est homo, cuius culpa humana posteritas, facta massa dānata, licet amiserit,

E 2 quam

quã in primo Parẽte acceperat sanctitatẽ, et
 omnino perdidit, quã diuinitus, et gratuito
 Deus condẽs naturã dignatus est illi diuina
 largitate tribuere: tamen id, quod est hominis
 non omisit, & in naturalibus vulnus passa
 est, non interitũ, atque adeò in terris dũ vi-
 ueret, vt honestã haberet operandi materiã,
 libertas eius arbitriũ naturalis ad vtrũlibet
 indifferens læsa quidem stetit, non extincta,
 suorum operum imperatrix remansit, et do-
 mina; vt ipsarũ virtutum moralium esset de-
 core spectabilis, si quas fortẽ suã libertatis
 obtinuisset industria; Vires etiã intrinsecas,
 naturales, et proprias partis intellectiue re-
 tinuit, quibus scientias assequeretur, & ma-
 ximẽ Metaphisicam, qua Deũ agnosceret na-
 turæ sui Authorem, quẽ diuinæ gratiæ largi-
 torem peccati originalis cõtractiõne perdidit.
 Est ergò vera Philosophi sententia docẽ-
 tis lib. 4. suæ Metaphis. (qui mihi labenti
 anno est impositus explicãdus) omnes ho-
 mines natura scire desiderant; scilicet eam
 ipsam

ipsā Metaphisicā, quam habebat præ manibus. Et hæc est maxima dignitas, atq; excellentia huius scientiæ, ut nimirum ab homine naturali inclinatione diligatur, quātumuis humanæ vitæ nihil asserat utilitatis. Probat hoc Philosophus à paritate rationis de Visu, quē, ut inquit ille, præ omnibus eligimus. causa autē est, quod hic maximè sensuum nos cognoscere facit, & multas differētias demonstrat. Hoc idem habet Metaphisica; facit enim nos cognoscere, cū sit habitus maximè omnium cognoscitiuus, & ex modo attingendi obiectū, quemdā hominis intellectū eam quicumq; dixerit, non ille quidem longiùs aberrabit à vero. Humanus namq; animus, licet incorporeæ splendeat excellentia quidditatis, quia tamen est in nostri corporis obscuro, per corporata hæc manuducitur ad Deū, et inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt suis ipsis penè subiecta oculis contēplatur; nō alio quidem lumine quā eo, quod ab agentis intelligentiæ suæ spiritu ita est à corpore facta;

*tas matū defecatum, & exinanitum, ut totū
 quasi celesti luce irradiatū existat, sic pro-
 nunciante Philosopho, oportet intelligentē
 fantasmata speculari; non aliter hæc Scien-
 tiarū omnium imperatrix Metaphisica intel-
 lectiua parti emula videri poscit, quia quid-
 quid habet innolutum in materia rerū crea-
 tarū, quas videmus, vniuersitas id sua illa,
 non vniuersali, qua genus discernatur à spe-
 cie, sed formali abstractione specularur, qua
 forma potentia deposita emergit pura & im-
 mortalis; ad instar ergo intellectus humani
 naturalis hæc sciētia contēplatur ens, ut ens,
 de quo demonstrat verū, bonum, unū, & non
 solū multas differētias quod Philosophus
 dixerat de visu, sed vniuersa etiā demon-
 strat ipsum vsque Deum, quem considerans
 Theologia naturalis nūcupatur. Addet Me-
 taphisicus christianus, hæc eadē scientia di-
 uinæ fidei lumine illustrata tangit ordinem
 gratiæ, quid enim est aliud discursus Theo-
 logicus, nisi Metaphisicus innixus principijs
 fidei?*

fidei? Et verò hæ sunt artes huius preclarissi-
 mæ sapiëntiæ, dogmata diuinitus reuelata cum
 natura, & vera philosophia conciliare, si ta-
 men rectus ordo seruetur, ut scilicet nullum
 præiudiciũ inferat cõclusioni Theologiæ, aut
 ijs, quæ sũt ab Ecclesia infallibili definitione
 sãcita, ut magistro fidei sit subiecta, hic præ-
 ueniat, ipsa sequatur, huic regule infallibili
 ipsa regulata non minus humili quã reuerenti
 subseruiat, atq; obediat famulatu. Si quid ali-
 ter docuerint Metaphisici, deceptionũ suarũ
 noscãt esse sophisma, ingeniorũ suorũ fatean-
 tur esse acumen, idq; vitreũ, quod lucet vani-
 tate, sed frãgitur veritate. Neq; timendũ erit
 Philosopho christiano per fidẽ extingui hanc
 sciëntiã naturalẽ. Ut enim gratia non destruit,
 sed perficit naturã hominis, Verum, inquit
 Pontifex in Cõcilio Lateranẽsi sub Leone X.
 sess. 8. vero minimẽ cõtradicit, et cũ Sãctitate
 Tua, hoc est cũ homine ALEXANDRO VII.
 Pon. Max. naturaliter cognito, optimẽ coheret
 Vicarius Christi diuinitus reuelatus, ita sanẽ

Me-

Metaphisicus iste discursus naturalis acquisitus, & lumē fidei, diuina docendæ veritati indiuidua connexionē subseruiūt, et obsequuntur. Munitur quidē innocētia morū æque, ac doctrina sanctorū Patruū Christiana Religio; sed horū omniū sapienter asserta Virorū nō nisi diuina fidei lumine illustrata, et huius Sapiētiæ luce perfusa hæreticorū tenebras eliminariūt. Testetur id, vt nihil dicā de ceteris, Augustinus in ea conflictus acerrimi disputatione grauissima de hostibus diuinæ gratiæ triūphator. Is enim cū rationū, et argumētōrū inimicos coarctabat angustijs, admirabile dictu est in quāta illi se abrupta præcipitabant, metuentes retia veritatis; vt iure merito dixerit Sotus in præfat. ad lib. de nat. & grat. quātō Augustinus sua Dialectica maius Ecclesiæ exhibuit negotiū, dum erat Manicheus, tantō aduersus hæreticos ei postea fuit utilior factus Philosophus Christianus.

Succedere linguarum exoticarum Professores. Primus sinister dixit D. Ioannes Baptista Iona Hebraicè ita.

DAuidicum illud *Psalms*. 64.
 breuissimè exponam. Quod li-
 cèt Latina versio sic habeat. Te de-
 cet Hymnus Deus in Sion. *Hebrai-
 cè tamen sic vertitur: Tibi silentium.*
 laus Deus in Sion. *scilicet electum non*
modò; sed etiam assumptum à Deo Pon-
tificem Maximum singulari inter homi-
nes sanctos præconio predicat idem Da-
uid, nec titulum silet Beatitudinis fasti-
gio Tuo (Beatissime Pater) attribui so-
litum. Beatus (inquiens) quem elegi-
sti, & assumpsisti.

כמומור סה כפי נוסח
 העברי ואמר לך דומיה
 תהלה אלהים כציון: ואמר
 אשרי תבחר ותקרב עליך
 ארוננו אפיפּיור:

Atque hoc duplici Cardine niti dignitatem istam testis est in eius typo Aarone Midrasch Samuel, locum illum sic interpretatus; Multi, inquit, electi, sed non assumpti fuerunt. Dicitur enim de Abraam, Nehem. 9. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, &c. non fuit de eo dictum, quod fuerit assumptus.

במדרש שמואל אומר
 הרבה נבחרו ולא נקרבו
 אברהם נבחר שנאמר נחמיה
 ט' אתה יהוה אלהים אשר
 נבחרת באברהם ולא מצינו
 שנקרבו!

De Iacob etiam exponitur. quod fuerit electus, Psal. 134. v. 4. Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, & non re-
pe-

peritur, quòd fuerit assumptus :

ביעקב מצינו שנבחר
 שנאמר מזמור ק' ל' ה' פסוק
 ד' כי יעקב בחר לו יהוה ולא
 מצינו שנקרב ;

*De David similiter dicitur, quòd fue-
 rit electus Psal. 77. Et elegit David
 feruum suum ; nec de eo reperitur, quòd
 fuerit assumptus .*

ברוך מצינו שנבחר
 שנאמר מזמור עח' ויבחר
 ברוך עבדו ולא מצינו שנקרב

*Quisnam igitur dicitur electus simul,
 & assūptus, nisi Sacerdos magnus Aarō?
 Vis electum? En Num. 17. habetur,*

Quem ex illis elegero, germinabit Vir-
ga eius; & paulò infrà: Regressus in-
uenit germinasse Virgā Aaron in Do-
mo Leui. Vis etiam assumptum? En,
Exodi 28. Applica quoq; ad te Aaron
fratrem tuum de medio filiorū Israël.

ומי הוא שנבחר ונקרב
הכהן הגדול שנאמר באהרון
במדבר יז' והיה האיש אשר
אבחר בו מטרו יפרח והנה
פרח מטרה אהרון לבית לוי
הרי שנבחר ונקרב שנאמר
שמורת כח" ואתה הקרב
אליך את אהרון אחיך מתוך
בני ישראל הרי שנקרב:

Ergo, Beatissime Pater, postquam
pro-

probavi Te electum, & assumptum esse à
Deo, silebo, & ut cum Davide loquar:
Tibi silentium meum sit laus Tua.

נַם כֵּן מֵאַחַר שֵׁאתָה
נִדְנַנּוּ נִפְיִיּוֹר נִכְחַרְתָּ
וּנְקִרְכַת אֲשֵׁרִיךְ וְאוֹמֵר עִם
דוֹר לְךָ דוֹמִיָּה תִהְלֵה
וּשְׁתִּיקוֹתִי הִיא תִהְלֵתְךָ :

Secundus dexter D. Demetrius Phale-
reus Græcè sic dixit.

Τὴν τῆ παναγίου πνεύματος χάριν ἔπι-
καλουμένῃ μου Μακαριώτατε Πάτερ,
ἐν τῷ δευτέρῳ ἐπέῳ, τῶν τῆς ἑλληνίδος Εἰσα-
γωγῆς μὲν τῆ Ἰσοκράτους Παραμυθητικῶν λόγων,
δὲ με σαφηνίσαι, ἔτι τὰς αὐτῆς ἀρετὰς ἀγνῆσαι,
ἀλλὰ γε θεὸς τις δαίμων τιμῶν μὲν δέλων,
ἀξιωτάτων δὲ δωπέ μοι ἀπὸ τοῦ ἐπαγεῖν ἐκέπ Ἰσο-
κράτους ἀρετὰς, ἀλλὰ τῶ σφωτάτε μεγίστου
ΑΔΕΞΑΝΔΡΟΥ ἄκρου Ἀρχιερέως, ἀρε-
τὰς ἠεθικὰς τε πρῶξτε ἐκωμιάζειν· αἴτηρ μὲν

αὐτῶν, τοσούτω μεγίσται καὶ ἐπαίνε ἀξιώταται
 τυχεύουσιν ἔσται, ὥστε αὐτὰς ἐκωμιάζειν, σο-
 φὸς δὴπίσημός τε αἴηρ ἀνάγκη ὅτι ὑπάρχει, ὡς αὐτὸν
 ἐν τοῖς Ποιηταῖς Ὀμηρὸς αὐτὰς ἐμμοχθῶς αἰδέ-
 ναι, ἐν τοῖς Ρήτοροι Δημοσθένους ἐφυῶς ὡς ταύ-
 τας δημηγορήσας, ἐν τοῖς ζωγράφους Ἀπὸ ἡλῆς
 αὐτὰς κομψῶς εἰκονῆσαι, ἐν τοῖς Ἐρμολύφους
 Λύσιππου ἀκριβῶς ταύτας γλύφειν, ἐγὼ δὲ
 ἐτυχεύω ἂν τῆν Τριέτων· διὸ τὴν τῆν ἀρετῆν
 ἀξιώτητα, τὸ μέγεθος τε τῆν ἡρωϊκῶν περὶ ἀξίων
 θεωρῶν, καὶ τὴν ἐμὴν ἀπείθειαν γινώσκων, ἵνα
 τὴν πενίαν τὴν λέγειν καὶ βραδείτητα τὴν γλώσσης.
 ὡρεϊσάμην μᾶλλον σιωπᾶν, ἢ ἀπέειρος ἐκω-
 μιᾶζειν, ἐλίνων ἐν τὴν ἐμὴν κεφαλῆν πρὸς ὅτι
 ἰερωτάτους σου πόδας σέβω τὸ τῆς σῆς ἀξιώτητι
 μέγιστον.

Diuini Spiritus sanctissima in spiran-
 te gratia B. P. hoc ineunte anno intro-
 ductionem Graeci idiomatis sum explica-
 turus cum Isocratis declamationibus,
 eiusque praestantiam commendaturus. Sed
 diuinum quid Numinis me fouens am-
 plissimam mihi opportunitatem exhibuit,
 ut videlicet non amplius Isocratis virtu-
 tes,

tes, verùm Sapiientissimi, atque Sanctif-
 simi Viri maximi ALEXANDRI
 Summi Pontificis dotes, heroicaque faci-
 nora laudibus efferrem. Verùm quia tã-
 ti Principis virtutes eximie, & omni
 laudatione dignissimæ summum præconẽ,
 Virum utique sapientissimum, atque in-
 geniosissimum sibi desiderarent; ut inter
 Vates Homerum, qui dulcissimè, & he-
 roicè eas decantaret; inter Oratores De-
 mosthenem, qui facundè ipsas orationes
 prosequeretur; inter Pictores Apellem,
 qui ingeniosè eas pingeret; inter Sculpto-
 res Lysippum, qui earum simulacra mol-
 lissimè vel marmoribus efformaret; & ego
 perpensa earum virtutum magnitudine
 cùm vnus ex ijs Viris non sim, utpotè di-
 tendi inscitia tenuissimus, & lingua etiã
 hesitatione, decreuĩ propterea silentio po-
 tiùs Tua B. P. opera venerari, quàm
 ineptè laudare, ut Maiestatem Tuam

pronus adoro, caputq; Tuis sanctissimis
pedibus suppono.

Tertius sinister D. Abrahamus Ecchellen-
sif Syriacæ; Quartus dexter R. P.
D. Ludouicus Marraccius Arabicæ lin-
guæ Professores: qui duo venusta Epi-
grammata peregrino idiomate concepta,
mox in latinam linguam conuersa in
laudem Pontificis recitarunt hoc ordi-
ne. Ecchellenfis.

اللحمية ذمها: اسيبها: وذللتها

❖ ذمها

ذمها: ذمها: ذمها:

❖ ذمها

ذمها: ذمها: ذمها:

❖ ذمها

: ذمها:

plex quem Mundus adorat:
Cui sacrum redimit terna corona ca-
pit.

Te Chaldaea parens Abrahae germana
parentis

Romanae Fidei praedicat ore patrem.
Utque Tibi hospitij melius gratetur ho-
norem,

Addidit & linguae murmura sacra
Syra,

Gratius utque tuas duplex sonus intret
in aures,

Qui doceat linguas, alter Abramus
adest.

Marraccius verò sic.

FEstiuiffimæ Panegyris gaudia,
que præsentis Vultus Tui Maie-
ftas cõciliauit B. P. Arabico Rhythmo
exprefsa, Latino carmine mox expli-
cabo.

كَمَا امواتًا فعادى الينا الارواح
وتجدذب

وتجددت في صدورنا الافراح :
 فضئت الظلمة بنور المهرماء :
 فاضأت اقطار الارض والسماء :
 واشرق علينا شعاع الجلال :
 ان طلعت نجومك من الجبال :
 انا من قبل في الظلمة حازنون :
 لنورك يا شمسنا منقطرون :
 قد سمعنا الله فاستجاب الدعاء :
 في يومنا انفتحت ابواب السماء :
 ان فتحت بيدك بيت الحكماء :
 يا اسكندر في مدينة العظما :
 اقدم اليك جماعة الصالحين :
 ووفرح

وفرح نور وجهك المؤمنين :
 انى لرجليك مقبل بالسجد :
 اقرب دعاء لاسمك الحمدود :
 هدى الفقير فلك طول الايام :
 يكن وغايه الحد الى التمام :
 لا خوف فى حياتك من الحرب :
 فليت لا يكن لعمرك الحمايه :
 ايداك فليعبد العرب مطيعين :
 ويحمد لجمك قمر المسلمين :

Id est :

*Spiritus extinctos rursus circumuolat
artus :*

Et noua se infundunt gaudia pectoribus.

Nox

Nox abit : atque oculis fulget lux aurea
 nostris

Chisia dum summis Montibus astra
 micant .

Quot votis , quantisque diem cor triste
 serenam

Expetijt! Numen vota habuere pium.
 Romanæ referas hodie dum Tempia Mi-
 neruæ :

Aethereæ pandis limina clara Do-
 mus .

Accurrit supplex Tibi , Princeps , turba
 piorum :

Et fruitur vultus lumine læta Tui .

Ipse etiam sacris affigens oscula plantis .

Offero , pauperibus munera prompta ,
 preces .

Sis felix , viuasque diu: Te sospite nun-
 quam

Romuleum inuadent bella , luesve so-
 lum .

Sis

*Sis felix ; Regemque feri Te Thracas
adorent ;*

*Atque colat Stellam Barbara Luna
Tuam .*

Ultimus è sinistro suggesto D. Iacobus Albanus Ghibbescius Professor Rhetorices hanc orationem habuit.

CUM immortalia tua merita, SANCTISSIME PATER, homines cælestesque grata memoria tui nominis venerationeque perpetua deuinxerint, tum non facile statuo, utrum aliud beneficium exiterit à te profectum vlllo tempore, aut maius, aut prædicabilius, aut ad voluntates alliciendas aptius, & efficacius hac ipsa, qua nos pariter ditas, & honestas declaratione presentie. Quamobrem pro tam eximia gratia, & penè cælesti, pro hoc exaggerato beneficio, adeoque illustri voluntatis erga nos significatione, ad eternam posterorum memoriam consecranda, quibus exponam verbis verum sensum

sum grati animi nostrum omnium, & singularorum, cum alia non suppetat demonstrandi facultas, equidem pro eo, ac res tanta meretur, haud reperio.

Obruimur numero, nec te contines tamen ab imponendo. E Quercu sacra tua quippè, velut ex arbore Sibyllina, succrescit usque, iam iamque super nos lapsurus impendet recens fructus. Sequitur ingenium illa Domini, nunquam in scientiarum promouendis studijs, augendaque gloria honestarum artium defatigati;

----- primo auulso, non deficit alter

Aureus, & simili frondefcit virga metallo.

Nam quid, obsecro, quid ad prolixam optimi atque doctissimi Pontificis iam ostensam de hoc loco benemerendi voluntatem potuit amplius accedere? nihilominus (sit suus factis debitus honos) quæ expectamus
fa-

facienda, multis partibus antecellunt.
Ac commode quidem atque ornata Mu-
sarum habitationi, satis erat aliorum Pō-
tificum providentiā, tua verō inprimis,
ALEXANDER, *præstanti acces-*
sione, qui fastigium imponis, affatim pror-
sus factum; eorum, quæ spe deuoramus,
et quorum messis iam in herba efflore-
scit, proximum gaudium fauente Deo
consequetur; cuius tu eris solus auctor,
nihilque sibi ex illa gloria decerpent de-
cessores tui, Horti medici, et Bibliothecæ.
Parum erat isti magnitudini animi,
et impotentia (ut ita dicam) paterni amo-
ris, studijs nostris amplissimi loci fecisse
grauitiam copiam, nisi de instrumento
quoque lautaque suppellectile cumulatis-
simè prospexisses. Ut enim è stirpibus, et
uarijs herbis medicina conficitur affecto
corpori salutaris, pari modo vitia seu vir-
tutes animi, delectu librorum atque fre-
quen-

quentia, corrigi & excitari, quis ignorat?

Desino mirari iam tandem, exemplo & impulsu tuo, nondum sexto absoluto felicissimi dominatus anno, renouatam vsquequaque Romam: è lateritia, quemadmodum de se prædicare glorians solebat Augustus, non dico relictam, ut ille; ast marmoream factam: marmoream autem? imò verò, quod cum Quiritibus aduenæ stupefacti vident, etiam maxima ex parte auream. Testor tot ubique per singulos vicos quæ perfecta, quæ surgentia pulcherrima ædificia, laqueata tecta, pavimenta vermiculata, quadrata atria, cum conclauibus excelsas porticus, disposita Parijs intercolumnijs perantiqua signa, vias Urbis de integro constratas, directas, & amplificatas, nouas portas fausto Reginarum ingressui reclusas, fortissimas additas munitiones: ac denique

G quid

quid Romæ, te Principe, maximoque sacerorum, & publicæ religionis Antistite, ad quandam effigiem cælestis Hierosolymæ deesset) immortalis Dei Divorumque auctas aras ditissimis donarijs, condita et restituta templa; Virginis Matris duo præcipuè, hominum certissimæ custodis, ac præpotentis patronæ, sub consueta vetusti nominis inuocatione Pacis, & Populi; quæ pro cõcordia Christianorum Regum, cuius vim & effectum ingredimur experiri, proque salute ciuium, quam paulò antè grassante pestilentia percepimus, intercederet deprecando.

Nec verò sacræ huius Aedis, quam religiosissimè modò solenni facto sacrificio es effatus, non inter prima pietatis tuæ monumenta extabit atque celebrabitur dedicatio, quoad amor literarum vigebit inter homines, vel cultus pietatis, vel æstimatio virtutis.

Quæ

Quò clarior nostra confessio debite tibi,
 BEATISSIME PATER, seruitutis, iustæ-
 que deuotionis uniuscuiusq; fortunarum
 & capitis, si res ita feret, propter ingen-
 tium vincula meritorum, quibus obstri-
 ctos tenes omnes, debet esse. Quicquid
 enim amplum & regale, sanctum ac ce-
 lebre in publico proposuisti, id nobis uni-
 uersum ut singulis priuatimque pateret,
 in hanc Sapientiæ gemmam mirabiliter
 contractum, veluti comitatus Apollinis
 in Pyrrhi achatem, quæ tuæ foret epito-
 me magnanimitatis, effecisti.

Gaude itaque tuo isto tam excellenti
 in Remp. literariam profuso bono, &
 perge porro singularibus priuilegijs atque
 muneribus demereri, & collocupletare
 Sapientiam. Nos certè Alumni eiusdē
 pijs mentibus gratam memoriam (qui est
 beneficij, ex doctissimorum hominum sen-
 tentia, fructus unicus; id quod etiam

omnium nomine queo solùm polliceri; nec aliud profectò reposcit mutuum emula diuinæ Amplitudo tua) conseruabimus, neque abstergi vlla culpa, vel interire patiemur vnquam. Vincat muta sanè voluntas animi quemlibet oris vel disertissimi sermonem: nosque adeò partibus nostris faciamus satis, vt apud Deum supplices solent, tacendo & sentiendo magis, quàm loquendo: cui etiam remunerandi te vicem pro dignitate, siquidem in vita quidquam adiūgi ultra nequit, suo tempore atque apto loco relinquimus, & commendamus.

Nemo non placuit. Omnibus faurum, & plausum, ac eò impensius, quòd dixere paucis. Præcipua laus, & felicitas fuit Pontifici probari, qui & beneuolas tunc aures dedit, & postea singulis videnos aureos veluti congiarium donari iussit; sed multò fuit audientia Summi Pontificis pretiosior; eoque ille ALEXANDRVM Maximum se gessit, quod honorem, quo
 eos

eos audiendo affectit, auro cumulauit, Vbi finis dicendi factus, Secretarius Collegij Sebastianus Baldinus suggestum conscendit, cum pyctacio, in quo Professorum Catalogus eleganti caractere exaratus inerat: ac iuxta eum singulorum nomen, patriam, facultatem recitabat: ac vti quisque nominabatur ita ad genua Pontificis accedebat, & oscula pedibus admoyebat. Hac ratione omnes agniti, & quam quisque facultatem professurus erat, ea re cognita. Operæmepretium facturum puto, si eos, quo vocati sunt ordine, recensuero.

R. P. M. Fr. Petrus Maria Passerinus de Sestula Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, Thomisticæ Cathedralæ Lector.

R. P. M. Fr. Laurentius Brancatus de Lauræa, Ordinis Minorum Conuentualium, Cathedralæ Scoti Lector.

R. P. M. Fr. Ioannes Baptista de Nisijis à Monte Granario, Ordinis Minorum Conuentualium, Cathedralæ Dogmaticæ Lector.

R. P. M. Fr. Ioannes Baptista de Pinnis

- Perufinus Ordinis Eremitarum S. Augustini, sacrae Scripturae Lector.
- D. Ioseph Palamolla Policastrensis, Iuris Canonici Lector.
- D. Felix Antonius Monaci Cusentinus, Iuris Canonici Lector.
- D. Iacobus Cincius Romanus, Decretorum Lector.
- D. Ioseph Carpanus Romanus, Iuris Ciuilis Lector.
- D. Carolus Festinius Ferrariensis, Iuris Ciuilis Lector.
- D. Marcus Antonius de Mare Scottis Senensis, Iuris Ciuilis Lector.
- D. Carolus Seluagus Thurius, Pandectarum Lector.
- D. Conceptius Pica Aquilanus, Iuris Ciuilis Lector extraordinarius.
- D. Franciscus Ptolemæus Senensis, Iuris Ciuilis Lector extraordinarius.
- D. Alexander Guidottus Bononiensis, Instit. Iuris Canonici Lector.
- D. Alexander Brugiottus Florentinus, Instit. Iuris Ciuilis Lector.
- D. Ioannes Baptista Pelicanus Bononiensis, Instit. Iuris Ciuilis extraordinarius Lector.
- D.

- D. Matthias Naldus Senensis, Medicus secretus Sanctissimi D. Papæ, Medicinæ Practicæ Lector.
- D. Gabriel Fonseca Lusitanus, Medicinæ Practicæ Lector.
- Mag. Benedictus Riva Leonissanus, Medicinæ Theoricæ Lector.
- Mag. Hyacinthus ab Altomare Cusentinus, Medicinæ Theoricæ Lector.
- Mag. Carolus Valesius Dubourgdiu Burdegalensis, Medicinæ Theoricæ extraordinarius Lector.
- Mag. Ioannes Baptista Bencius ab Aquapendente, Medicinæ Practicæ extraordinarius Lector.
- Mag. Michael Angelus Caporipa Romanus, Medicinæ extraordinarius Lector.
- Mag. Ioannes Trullus Romanus, Chirurgiæ, & Anatomix Lector.
- Mag. Ioannes Franciscus Sinibaldus Romanus, Medic. simpl. Lector.
- R. P. M. Fr. Antonius Marinarius à Chriptalijs Ordinis Carmelitarum, Metaphysicæ Lector.
- D. Guilielmus Artius Lancastrensis, Philosophiæ Lector.

- D. Demetrius Phalereus Constantino-
 politanus, Philosophiæ, & linguæ Græ-
 cæ Lector.
- D. Iacobus Philippus Camola Roma-
 nus, Philosophiæ Moralis Lector.
- R. P. D. Antonius Sanctinius Lucensis,
 Cleric. Regul. Congregationis Som-
 maschæ, Mathematicæ Lector.
- D. Petrus Michael Scaliolus Fauenti-
 nus, Logicæ Lector.
- R. P. M. Fr. Franciscus à S. Augustino
 Macedo Lusitanus, Historiæ Ecclesia-
 sticæ Lector.
- D. Iacobus Albanus Ghibbescius Londi-
 nas, Humaniorum Litterarum, & Rhe-
 toricæ Lector.
- D. Ioannes Baptista Iona Galilæus, Lin-
 guæ Hebraicæ Lector.
- D. Abraham Ecchellenfis à Libano
 Linguæ Syriacæ Lector.
- R. P. D. Ludouicus Marracius Lucensis
 Cleric. Regul. Congreg. Matris Dei,
 Arabicæ linguæ Lector.
- Pontifex perhumaniter omnes accipe-
 re, hilariter intueri, honestè dimittere.
 Id obseruatum; ALEXANDRVM, dum
 actio

actio illa, quæ satis fuit longa tenuit, eo habitu oris fuisse, vt appareret, nihil sibi gratius eo litterario spectaculo esse potuisse, ac ea lætitia significasse, sicut eximiè doctus est, ita & doctorum deinceps hominum patronum, & doctrinarum vindicem, & Authorem fore. Huius animi, & studij erga litteras, & litterarum Professores pignus habemus. Quos enim hoc anno ALEXANDER Reipublicæ nummos insignes ex auro, & argento cudi iussit, in parte auersa, quæ imagini Pontificiæ respondet, in eos incidi curauit Archigymnasij effigiem cum respectu ad Domum Sapientiæ, addita inscriptione, *Omnis Sapientia à Domino*. Igitur quòd animum ALEXANDRI in se, suosque Magistros, & Auditores Almæ Sapientiæ Magistratus Viri clarissimi, & officiosissimi perspectum habeant, gratiam eidem Pontifici re ferre studuerunt. Cum ergo sibi vnica illa inscriptione minimè satisfacissent, aliam illustriore in loco, idest in fronte ornatissimæ Ædis supra portam in marmoreo lapide ad id mirè expolito addiderunt. Eiusmodi est.

ALE-

ALEXANDRO VII.

Pont. Max.

*Ob Aedem Sapientie
Toto Ambitu perfectam
Et Bibliotheca*

*Horroque Medico Instructam
Sacri Consistorij Advocati
P. P.*

Anno M. DC. LX.

Facto ab Oratoribus dicendi fine, Aula
cū coetu Cardinalium egressus Pontifex
in vicinā se Bibliothecam contulit, cuius
amplitudo, & venustas cepit omnium
oculos; ac Equiti Borromino Archigym-
nasij Architecto, qui in comitatu erat
coram Rectore Vizzanio, ad quem ea
præcipuè cura spectabat, nonnulla ad
operis perfectionem necessaria ALEXAN-
DER, vti est Architecturæ quoque scien-
tissimus, disertè præscripsit. Postea cum
pedes in atrium inferius per scalas de-
scendisset, Cardinales comiter dimisit,
& lecticam ingressus exiit in Circum-
Sancti

Sancti Eustachij, & inde obuerso in frontem, quæ eò spectat ædificij vultu, lætis eam oculis lustrauit. Mox in Quirinalem redijt, magno sui apud Magistratus, & Professores desiderio relicto. Eo discedente Cardinalis Antonius, qui pro sui conditione muneris semper illius lateri adstiterat, in Aedem venit, ibique sacris operatus est, quibus peractis hora fermè decimanona cum dimidia in suum se Palatium recepit.

Incredibile est quantum beneuolentiæ publicæ eo facto collegerit. Laudari vbique in circulis, in Collegijs, in scholis; feruere lætitia vulgus, celebrari passim ALEXANDRI nomen, Vrbe tota plausus resonare, & clamores fieri. Nemo enim fermè erat, ad quem illius gaudij pars aliqua non peruenisset: Nam vel Alumnos ibi Collegia, vel familiæ liberos, & consanguineos, vel indigenæ Ciues, vel inquilini amicos habebant, imò & ad exterarum nationes emanauit lætitia. Nulla quippe fermè fuit, quæ Professorum ibi aliquem suum Romanis immixtum non viderit, Vnde spes omnibus
facta

facta, & locum deinceps inter Ciues Romanos ad gloriam litterarum, & decus honestum fore; & omnino apparuit Romæ, hoc præsertim Pontifice, non Patriæ, aut sanguinis, aut fucatae opinionis, sed veræ, & solidæ virtutis rationem haberi. Qua qui polleat, vnde vnde sit, nihil inter eum, et Romanum Ciuem interesse. Nullus verò maior ad acuenda omnium tum Ciuium, tum exterorum studia adhiberi stimulus potuit. Nam et illis vigilandum, ne dum externis cedunt, honores amittant, & his nitendum, vt quos iure patriæ æquare non possunt, doctrina superent, atque adeò illi pudore incitentur, hi spe gloriæ incendantur: & dum alij alijs conantur antecire, omnes excellentes euadant, & optimarum vbique Artium Studia efflorescant.

At enim gratulationis ea die & plausus publici ea significatio fuit, vt feliciter Senatui Populoque Romano Triumphum ALEXANDRO decernere, ille haud dubiè triumpharet, eò iustiore titulo, quòd non de victis cruentâ victoriâ hostibus, sed de captis ciuium beneuolentia

tia animis triumpharet. Id obseruatum à Scriptore operis, homine in historijs tum sacris, tū prophanis versato, simile hoc tempus ALEXANDRI, Leonis X. ætati esse, qua nulla antea actis seculis literatis hominibus felicior extitit. De quo Paulus Iouius nobilis illius temporis Historicus lib. 3. de vita Leonis sic. *Florebat tunc Roma præstantibus ingenijs, copia incredibili rerum omnium, ita ut Leo tantæ virtutis, ac amplitudinis Pontifex auream ætatem post multa secula condidisse diceretur.* Ac vti eo tum Pontifice, vâria ab eruditis in laudem, gratiamque Leonis per totam Urbem carmina distichis inclusa spargebantur, quæ ibidem profert Iouius, ita & nunc post dedicatam Sapientiam, leuatamque annonam diuersa disticha aureis exarata characteribus, incertis tamen auctoribus dispersa sunt. Quorum aliqua pergamenis chartis auro illitis ad Illustrissimum & Reuerendissimum D. Vizzanium, Anonymi, sed celebres Poetæ inscripta miserunt. Ea cum ad Scriptoris manus peruenissent, duxit is operæpretiū fore si hoc opusculum ijs non inuenustè, nec ineptè clauderet.

Primum esto

*Aurea ALEXANDER renouasti secla Leonis .
Vive diu : vt posthac gemmea secla feras .*

Secundum

*Est in ALEXANDRO Mæcenas . Surgite vates .
Non satis hoc vnus tempore Virgilius .*

Tertium

(derunt.

*Confer ALEXANDROS, quos Pella, & Sena de-
Omnibus, ille, armis præstitit; iste, toga.*

Quartum demum cum respectu ad
duos superiores Pontifices .

*Mella Vrbi donabat Apes, Oleamque Columba .
Palladis at lumen Chisra Stella dedit .*

Quæ si cum ijs Leonis X. tempore concinnatis, & tantopere à Paulo Iouio commendatis conferantur, non inferiora videbuntur : vt nec minor temporum felicitas est, nec obscurior aut ALEXANDRI erga litteratos fauor, aut litteratorum, erga ALEXANDRVM amor . Vbique certè ijs diebus ALEXANDRO & Io dictum, & plausus factus . Cuius præclaræ dotes magnarum diuersarumque virtutum expressæ exemplis efficiunt, vt nihil eorum, quæ ille Scriptor Leonis tempore, imò & alij vel antiquiorum, vel recentiorum ætate

Pon-

Pontificum ad beatè viuendum felicitè
accidisse narrant, hoc vno ALEXANDRO
nostro Pontifice desideremus.

Pro coronide esto Epigramma

ALEXANDRI
SAPIENTIA

In Romano Archigymnasio ab
eodem consecrata.

*E cerebro quondam fuerat Iouis edita Pallas,
Bellatrix, strepitus inter, & arma Dea.
Terribilis clypeo, telo metuenda trabali
Ense minax, dura casside tecta comas
Vix nata erubuit, cum se conspexit in armis
Armatique genus non tulit esse Iouis.
Indignata igitur natalia deserit astra
Incolit humanos, & peregrina lares
Inquirensque caput, nasci queat vnde, vagatur,
Donec Alexandri vidit in Vrbe caput.
Expendensque alta vim mentis, & acris acumen
Ingenij, atque grauis pondera Iudicij,*

Pacificasque artes; priscique insignia moris,
 Flauaque Saturni currere secl'arias.
 Hic Vir hic est, cuius placet alto è vertice nasci,
 Inquit, in hoc cerebro mens mihi mater adest.
 Dixit, & abiectis sese in caput intulit armis,
 Sensaque foetura repperit apta sua,
 Hoc concepta sinu, qui numine factus, in auras
 Exiit alterius nata Minerva Iouis.
 Gaudet Alexandro Sapiencia creta Parente,
 Induit & sacram Religiosi Togam.
 Hoc Genitore, fuit quondam quæ fabula Pallas,
 Incipit hac verum Numen habere domo.

Scribebat vno post mense quàm dedicata
 est ab ALEXANDRO Sapiencia
 eiusdem anni M.D.CLX.

Franciscus Macedo.

sci,
lest.

is

te,

as,

ata



Unive
Dipartim
